

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e]\$nElektronische Ressource

**Fecht, Johann
Fecht, Gustav Friedrich**

Rostochi, 1704

VD18 10451528-001

[urn:nbn:de:bsz:31-41839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41839)

HISTORIA
CAINI ET ABELIS,
LIS,

NOTIS CRITICIS, PHILOGICIS, HISTORICIS
ET THEOLOGICIS ILLUSTRATA:

QVAM
CONSENTIENTE R. FACULT. THEOLOGICA
PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO,

D. P. P. CONSISTORII DUC. ADSESS. ET DISTRICT.
ROSTOCHIENS. SUPERINTENDENTE,
PARENTE SUO PIE DEVENERANDO,

AD LITERARIUM CUM COMMILITONIBUS SUIS
COLLOQUIUM EXPONET

AD DIEM XVII. MAJI MDCCIV.

GUSTAVUS FRIDERICUS
FECHTIUS,

DURLACO - BADENSIS.



ROSTOCHL, TYPIS JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINCIPIS
ET ACADEMIÆ TYPOGR.

1704

11

aK

M3 E 4275 T2



COROLLARIA

Quædam N. T. loca illustrantia.

I.

Ille. I. 35. simpliciter, sic iudice, est, per virtutem altissimi vim Divinam supernaturalem, quæ Mariam non tanquam ignis, (qualis in se est Deus, Deut. IV. 24. Ebr. XII. 29.) consumeret, sed tanquam umbraculum ab aestu defenderet & adeo fecundaret, (sicut semen in terram projectum umbraculo contegitur, ne à nimio solis aestu suffocetur) intelligi, quam ipsum Filium Dei, in utero Mariae tanquam sub Chappa obumbratum. Ille enim sensus quædam primum audiuntur verba, menti naturaliter & promptissime illabitur, hic vero ob verbi activi in passivam significationem mutationem; obumbrabit pro obumbrabitur, non nisi cum artificio & reversione quadam.

II. Rom. II. 4. In ostensione Spiritus & virtutis. Hæc in Demonstr. Evang. per ostensionem Spiritus non ineptè intelligit demonstrationem, quæ fit ex Prophetis V. T. quippe ex quibus Christum esse mundi Servatorem, in quos salvari unice oporteat, ubique probavit Paulus, Act. XXVI. 22. XXVII. 23. cum testimonium Jesu sit spiritus Prophetiæ; Apoc. XIX. 10. Per virtutem vero miracula, quæ voce frequenter illa veniunt. Matth. VII. 22. I. Cor. XII. 23. & ex quibus non minus argumenta pro doctrina illa sua deprompsit, Ebr. II. 4. Quæ interpretatione egregiè juvatur sententia Dn. Georg. Raphaelii, Correctoris hodiè Lunenburgensis, in Dissertatione ante biennium hic habita: de persvasoriis humana sapientia verbis expressa, quod per verba persvasoria non eloquentia humana & sermonis ornatus, sed argumenta ex humana sapientia deprompta intelligantur. Ita enim materia materia, & probatio ex humanis probationi ex Divinis manifestè opponitur.

III. Rom. II. 7. καὶ ἰσομερῆν ἔργα ἀγαθῶν. Quæritur: annon verè possit: secundum perseverantiam boni operis,
h. 6.

6
b. e. fidei, quæ est opus DEI, Job. VI. 29. adeoque bonum? Cui
enim alias mutaret numerum pluralem, immediate antecedentem,
κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆ, in singularem, ἡσυχασίαν ἔργα ἀγαθῆ?
Etannon rectè τῶ: ἀποδώσει καὶ ἡσυχασίαν ἔργα ἀγαθῆ ζωὴν
αἰώνιον, dabit juxta perseverantiam fidei, tanquam causam, vitam
æternam, opponitur in verbis è vestigio sequentibus τὸ: ἔργα τοῖς
ἀπειθεῖσι ἢ ἀληθείᾳ θυμῶς καὶ ὀργῆ, erit incredulis, ob in-
credulitatem tanquam causam, indignatio & ira Divina? Ut adeo
utrobique & premium bonè operantibus, & veriusque simul vera
& immediata causa, ibi bona Dei operatio, fides, & quidem fi-
naliter perseverans, τῇ ἀπιστίᾳ opposita, hic infidelitas & ve-
ritatis rejeçtio insinuetur? Consonat scopus totius epistole, qui est
removere opera ab efficiencia salutis & hanc soli fidei transcribere,
Rom III. 28. Neque repugnat vox ἡσυχασίαν. Quomocumque
enim eandem veritas, sive per patientiam, sive per constantem per-
manentiam, non minus dici illa de fide ac bono opere morali potest.

IV. I. Job. II. 18. Sensum hujus loci ita ἡσυχασίαν:
Filioli mei, Judæi, ad quos scribo, quos ab amore hujus mundi & fa-
dis carnis concupiscentiis, variis usus argumentis, serio hactenus
dehortatus sum, nunc novum addo, ex presentissimo periculo desum-
ptum: extrema hora est. Imminet πανωλεθρία vestrae republice.
Venient brevi Romani & omnia devastabunt. Judæi pariter & Chri-
stiani, quotquot in Judæa morantur, bonis omnibus exuti mitteren-
tur in exilium. Sisto vobis ante oculos non obscurum hujus rei indi-
cium. Audistis ex Pauli Epistolis & Coneionibus, quod sub finem
mundi Anti-Christus magnus venturus & post eundem mundus bre-
vi interiturus sit: ita ego quoque vobis dico, jam nunc Anti-Chri-
stos multos minores, abnegantes Patrem, Filiumque, factos esse atque
inde vos pariter cognoscere debere, quod ultima instet impo-
rii Judaici hora. Itaque mundo valedicite & æterna cogitate. Hæc
interpretatio omnibus ejus temporis circumstantiis conveniens est &
mitigat duritiem extrema hora mundi, pro tempore duo millennia
mundi finem antecedente intellecta.

os(0)so

HISTORIÆ CAINI ET ABELIS
NOTIS ILLUSTRATÆ
PRÆFATIUNCULA.

Natus sum à Parente meo miscellam quampiam eligere materia-
riam, quæ ad Dissertationem publicam commodè promovere
Academia posset proponi. Placuit historia quæpiam Bi-
blica, quæ in varias posset observationes diffundi & de
qua sententia commilitonum non possent sine iucunditate
conferri. Obvia statim oculis meis facta est Caini & Abelis historia,
quasi in fragmento quodam quarto Geneseos capite descripta. Quare
Judæorum Rabbinos, quotquot quidem fuerant ad manus, in Latinum
primò sermonem converti. Deinde Christianorum Interpretes sollicitè
legi, & cujuslibet sententiam, sententiæq; momenta, in ordinem re-
degi. Scribendi methodus ea mihi placuit, quæ melioribus interpre-
tibus semper arrisit, ut in historia ipsa sensum capituli Biblici quasi per
paraphrasin quandam representarem, ad eundem verò illustrandum
probandumq; observationes subicerem, siue ad crisin in textu Ebræo,
siue ad historiam partim ex sacris, partim ex antiquitatibus Judaicis
depromptam, siue ad Philologiam & vocum Ebræarum penitentiorem
considerationem, vel ex usu Scripture, vel ex origine vocum, vel ex
analogia petitam, siue ad Theologiam, cuius studio dicatus sum, per-
tinentem. Itadum operi me accingo, manum mihi ducit Optimus
Pater, causatus, nondum ea me etate eorum iudicio esse, ut quidpiam
hac de re scriberem, quin Perpetua reformatione, quæ illi mihi quæ-
molesta foret, indigeret. Hinc itaq; sætus hic, implorato prorsus Divino
auxilio, prodit, de quo ut benignum iudicium seras, mei amantissimo
Lector, enixo studio à te oro. Quod eò facilius à te impetraturum
me esse confido, quia in tam concisa historie nostre enarratione & obveni-
entibus ubiq; scrupulis, tanta inter se diffensione constigunt autores, ut
difficile sit nonnunquam crisin exercere & sepositio omni dubio saltem
parti addere calculum. Quare nonnunquam quidem certis quid pro-
nunciare ausi sumus, in cæteris verò omnibus in verisimilitudine, eorum
vel fortiori, vel infirmiori, prout nobis ex quibusdam rationibus visum
fuit, acquievimus. Nec enim certitudinem ubiq; vel assequimur, vel
promittere possumus, memores, dignam esse Christiano homine senten-
tiam, multa in Sacris non illaudabiliter ignorari, dummodo ad veritatis
indagationem nunquam pigri, nunquam defessi inveniamur. Vale!

A

HISTORIÆ

²
HISTORIÆ CAINI & ABELIS
FRAGMENTUM.



Ain & Abel, Fratres Germani, vel uno partu vel exiguo interjecto tempore nati, parentem habuerunt Adamum, primum à DEO creatum hominem & Evam, uxorem ipsius, qui reiecti ob commissum peccatum ex Paradiso & mortales facti, ne ipsorum genus in orbe extingueretur, liberorum propagationi operam dare cœperunt. Et Cain quidem cum primum utero egredieretur. ex eoq; insolitum dolorem, cum formidine mortis junctum, Eva persentisceret, memor promissi sibi seminis, in quo unicum adversus peccatum & ortas inde omnium generis calamitates & passiones solatium sibi reconditum esset, exclamare cœpit: Omnis mihi fiducia contra partus mortisq; dolores in unico Messia reposita est, qui me à corpore mortis hujus brevi liberatam saluti restituet. Inter hæc suspiria filium enixa, sumpta à verbis suis, quibus redemptorem se suum spe beatæ liberationis amplecti & in animo se suo possidere dixerat, occasione, nomen Caini eidem imposuit, quod possessorem significat. Mox alteri quoq;, eodem partu egredienti, cum parvo eundem debiliq; corpore conspiceret, quem vix à morte omni nisi suo conservare posset, considerans humanæ post lapsum vitæ flebilem miseriam, non à rerum tantum actionumq; humanarum omnium, quam experta hæctenus fuerat, vanitate, sed à pusilli præcipue filioli infirma & quotidie quasi peritura constitutione, quæ vana ipsi nilq; in se solidi complexa videbatur, Abelis cognomen addixit. Ita æquavis studiis adolescentes familiæ negotiis ita à parentibus applicati sunt, ut Abel pecoris, ovium imprimis, gereret curam

ram, Cain agricolendi laborem subiret. Sed animis tamen moribusq; fuerunt diversi. Abel ad omnem honestatem compositus simplici pioq; pectore Deum, postq; Deum parentes suos venerabatur. Cain elati animi juvenis, roboreq; corporis præstans, suas voluptates & carnis desideria Dei parentumq; amori longe præponebat. Factum aliquando sub cujusdam anni finem est, ubi fructus quilibet laborum suorū colligere, exq; iisdem partem aliquam, ad grati animi pietatem declarandam, Deo ex parentum instituto offerre solebat, ut Cain de proventibus agri sui quidpiam, Abel de pecoris sui primogenitis, forma & pinguedine conspicuis atq; ideo ex toto grege selectis, Deo in loco sacris à parente destinato adferrent. Cumq; Abel rem sacram faceret animo ab omni furo longe remoto, Deumq; unicè reverente, & in Messia promisso peccatorum suorum veniam immota fide sperante, Cain verò mori tantum hætenus usitato obsequeretur, nihil veritus Deum, neq; peccatorum suorum pœnitentia ductus, Abeli sacrificium Deus, ut gratum id sibi esse testaretur, è cœlo inflammavit, intacto Caini sacrificio. Quæ res ad iram haud mediocrem Cainum commovit, ut externa etiã vultus mutatione animum in fratrem incensum haud parum proderet. Causatus, contemni se primogenitum præ minore & Abelem occasionem inde captare, sese à reverentia illa, quam ob nativitatæ prærogativam ipsi deberet, petulanter subducendi. Deus verò ut semina discordiarum mature suffocaret, veniens ad Cainum, ita hominem affatus est: cur verò, bone Caine, ob incensum à me cœlitus fratris tui sacrificium animo tuo tumultuaris? Cur indignationem tuam adversus ipsum adeo clam habere non potes, ut vultum tuum potius prostituas, torvaq; fronte, quid adversus fratrem innocentem machineris, prode-
re palam non reformides? Quæso te rogoq;, descende in

temetipsum & collige animi tui exorbitantes motus. Quod si bene recteq; in oculis DEI hominumq; egeris, imitatus mentis in fratre tuo sinceritatem, exporrecta fronte incedere & conscientiæ tuæ tranquillitatem lætabundus ubique præferre potes. Si verò fuscq; deq; habita morum, innocentia, hypocrisis te & proterviæ dederis, peccatum ante fores tuas, nocturni canis adinstar, cubat, ut quolibet momento surgere & latratibus suis animum tuum turbidum fratriq; tuo innocuo infensum reddere possit. Cujus tamen studium vera simplicitate ad te amandum colendumq; directum est, ut adeo de jure in illū tuo, quod ex primogenituræ eminentia tibi competit, nihil prorsus tibi decedat. His dictis Caini animus nihilo melior redditus, dissimulare tamen occidendi propositum & verborum blanditiis, ne quid sequius de se suspicaretur, circumvenire fratrem constituit. Quamobrem, quæ DEUS ad ipsum dixerat, referre Cain Abeli, simulare factorum suorum pœnitentiam & obsequium posthac DEO parentibusque præstandum, intimæque amicitiae officia fratri prolixè promittere. Igitur dum seposito omni metu aliquando in agro ambo simul essent, Cain primò objectare fratri, quod Deum sibi reddiderit infensum, quod parentum à se alienaverit animum, quod à reverentia ipsi, ceu primogenito debita, obstinate recesserit, quod apud minores in contemptum ipsum adduxerit, invadere vi Abelem, tum quidem inermem, eundemque, frustra semet ab impactis criminibus exculantem, frustra per DEUM perque omnia sacra deprecantem, grandi ligni stipite, capiti primum ipsius, dein membris omnibus illiso, ex quo copiosissimus in terram sanguis profluxit, occidere, denique exanime corpus humo contactum conjicere in foveam. Non poterat tantum facinus latere orbis judicem, cujus oculis nihil est impervium. Quare adest, è vestigio, inq;

judi;

judicium vocat Cainum. Ubi est frater tuus, inquit, Abel ille, cujus tibi pietatem inque te studia tam prolixè paucis abhinc diebus commendavi? Speraverat DEUS, rediturum in se Cainum & flagitii sui pœnitentia ductum, facti atrocitatem deprecaturum esse. Verum Cain obfirmato ad intestabilem impietatem animo, non veritus est, DEO, ô scelus! pervicaci ore obloqui: nescio, ait, ubi sit Abel. Quid verò? An rem eò devenisse putes, ut ignobile abjectumq; custodiendi fratris officium obeam, major minoris? In furorem actum esse existimes Divinæ vindictæ affectum, ut fulmine è cœlo perditissimum furciferum nulla interposita mora telluri infingeret. Sed excellit longe Divina misericordia præ ipsius ira & gloriatur adversus indignationem Divina gratia. Igitur DEUS, nihil indignitate rei commotus, ut lapsum ad pœnitentiam adduceret, sedata voce: quid fecisti, Cain? Ne nega quæso, quod lugere oculum meum non potest. Ipse imber ille sanguinum, qui ex Abelis, à te contusi, corpore, profluxit, lingua nondum destituitur, vocem unq; habet clamorissimam, sanguis ille clamat ad me de terra, ultionemq; adversus te, fratricidam, exposcit. Poteram te justitia mea fretus mille objicere, quas meruisti, mortibus, inq; ipsos infernales illico detrudere cruciatus, sed exemplum in te patientiæ meæ statuam, pœnitentiæ tibi spatium concedam. Interea ne exemplo tuo alii tui similes sicarii sese posthac tueantur, hanc tibi justus Juxta dicto sententiam: maledictus esto in omnibus, quæ feceris posthac. Exulabis ex terra, quam hæcenus incolueras, quæque os suum aperuit ad hauriendum fraternum è manibus tuis truculentis sanguinem. Non erit tibi ullus amplius in Ecclesia paterna locus. Ager, quem alibi culturus es, virtute sua destitutus, spe te tua defraudabit. Inceris ledibus perpetuò vagaberis, sævis conscientiæ angoribus

tanquam furiis in omni vita tua adflactus. Dixit. Cain
 verò tam horribili iudicis decreto consternatus datusq; in
 desperationem: majora, exclamat, peccata mea sunt,
 quam quæ mihi remitti, aut pœnæ eorundem vel tolli que-
 ant vel mitigari. Ecce tua nunc sententiâ expellor ex pa-
 triis sedibus, cogor me à facie tua, quæ mihi antehac læ-
 ta sæpe & exoptata illuxit, summa cum infamia mea sub-
 ducere. Parentem meum, matremque & fratres atque
 sorores per totam vitam meam non amplius videbo. Va-
 gus & exul, quousque vixero, oberrabo. Nulla mihi sa-
 lutis spes reliqua est. Quare fit ita, quicumque me quo-
 cunque loco offenderit, is fraternæ cædis vindex, jugu-
 lum meum invadat, eripiatque mihi vitam. At enim
 vero insanæ desperationi occurrens è vestigio DEUS, absit,
 inquit Cain, absit, ut tibi quisquam violentas inferat ma-
 nus & concessum tibi pœnitentiæ spatium abrumpat. Per-
 stet immotum voluntatis meæ decretum: quisquis Cai-
 num occiderit, septuplici pœna mulctator! Et ne ul-
 lum superesset de vitæ suæ securitate dubium, externo si-
 gno miraculoque fidem suam Caino confirmavit Deus.
 Ita abiit Cainus cum familia, pulsus à Cherubinis, flamma-
 tibus gladiis armatis, nescius, quo perveniret, donec su-
 peratis innumeris montibus fluviisque, in terra Nod, ab
 incerta vâgaque ejus oberratione ita cognominata, con-
 sideret, è regione Eden versus Orientem. Posthæc libero-
 rum quoque procreationi operam dans Cain ex uxore
 sua Chanochum progenuit, cumque jam firmiorem sibi
 videretur acquisivisse sedem, urbem quoque, vel muris
 vel sepimento circumdatam, condidit, eamque in primo-
 geniti filii sui honorem Chanochi nomine insignivit. E
 quo deinde Chanocho continua sanguinis successione Irad,
 Mahujaël, Methusaël & Lamech orti sunt. Cumque de
 reliquis nihil memoratu dignum proditum fuerit, Lame-
 chus

chus & duas contra primævam institutionem duxit uxores, quarum Adæ uni, alteri Zillæ nomen fuit, & filios ex iisdem, novarum artium inventores, progeneravit, ex Ada quidem Jabalem, qui morem in tentoriis degendi, quæ facile ab uno loco in alium, ubi pascendi vel necessitas vel commoditas id efflagitabat, transferri poterant, pecorisque hoc pacto pascendi morem introduxit; fratremque ipsius Jubalem, ex quo orti sunt, qui Musicis instrumentis ludebant. Ex Zilla verò Tubalcainum suscepit, æris ferrique conficiendi magistrum, cujus soror fuerat Naema. Unum de Lamecho veterum monumenta narrant, cum ferociori esset ingenio injuriasque sibi illatas, tritavi sui exemplo, cæde nonnunquam & sanguine repelleret, uxores ipsius sibi familiæque suæ grande periculum extimuisse. Quas ut solatio deliniret, isthac illum oratione eas allocutum esse ferunt: huc, huc aures advertite, uxores Lamechi & sermonem ad vos meum animo vestro recondite. Non equidem inficior, irritatum me à viro quopiam, licentius mecum rixante, caput eidem amputasse; juvenis quoque cujusdam, petulantius mihi insultantis, collum hac manu mea ita compressisse, ut suffocatus animam efflaverit. Ita illi iracundiæ simul meæ & suæ vecordiæ luerunt pœnas. Si quid ea in re ego iniquius, si humano sanguine animam meam commaculavi, meum istud vulnus est, non alterius, meæ solius conscientiæ vel morsum imprimi vel labem adspersit. Quid verò mihi vobisque inde periculi imminere putabitis? Quisquis me ideo tulerit ex medio, in illum hanc fero, præsciis futuri vates, sententiam: si septuplo vindicabitur Cain, leptuagies septuplo vindicari Lamechum oportebit.

Explicit Fragmentum.

NO.

In hanc Historiam

Criticæ, Historicæ, Philologicæ, Theologicæ.

§. I.

AD v. l. *Homo cognovit.*) Cur modesto cognitionis vocabulo consuetudo viri cum fœmina appelletur, *R. Bechai*, subtiliorem quam par est, eruditionem ostentaturus exponit: דע כי התשמיש בלשון התורה נקרא ידועה והטעם לפי שהזרע בא מן המוח שהוא מקום החכמה והדעת ועוד תאור התשמיש היתה סבה עץ הדעת ולכן נקרא בשם ידועה: Scito, lecti officium, usu sacrarum literarum cognitionem vocari, propterea, quod semen è cerebro, quod est sapientia ac cognitionis sedes, defluit; deinde libidinis causa fuit arbor scientie seu cognitionis, idcirco usus uxoris nominatur cognitio. *Judicent Medicorum filii.* Recte & apposite *Simeon de Muys* in Variis Sacris: *Quod nusquam magis quam cum vir pro viro cognoscatur, fœmina pro fœmina, uxor pro uxore, idcirco videtur Scriptura viri cum muliere seu uxore consuetudinem eo verbo significasse.*

§. II. Ad v. eund. *Et homo cognovit Evam uxorem suam.*) Insolens & longe quæsitâ sententia est *Raschq̄*, qui ex eo, quod non dicatur: ארם וידע colligit, intelligendum hoc esse de antecedenti lapsum tempore, adeo, ut quæcunque de nativitate & statu primogenitorum filiorum Adami h. l. dicuntur, lapsum ascendant. Quod & Christianis occasionem dedit hanc quæstionem ventilandi: an Cain & Abel ante lapsum nati sint nec ne? Nullus tamen tam confidenter decidit ac *Jo. Clericus*, qui in Commentario ad h. l. *utrum autem cum uxore Ada-*

mæ

mūs rem habuerit, antequam paradiso accederet, an demum post sedes mutatas, non constat; quia in hisce libris vix quidquam certi ex solo ordine colligere licet. An enim Christianus ea de re dubitare debet, cui ex Theologicis principiis ignotum non est, si Adam ante lapsum vel generasset filios, vel concubuisset cum Eva, hanc ipsorum sobolem necessario extra peccatum fuisse? Præterea ordo hic manifeste innuitur. *Primò* labitur Adam. *Deinde* à DEO in iudicium vocatur. *Tertiò* sententia in ipsum mortis fertur. *Quartò* ejicitur ex paradiso. *Quinò* cognoscit uxorem & generat filios. In quo ordine qui intervalla extra summum necessitatis casum fingit, reverentiæ, quæ Scripturæ debetur, derogat. Cur verò Adam ejectus ex horto demum de generandis liberis cogitaverit, R. *Aben Ezra* causam innuit: כַּשֶׁר רָאוּ אָדָם וְחַוָּה בְּגֵבוּרָתוֹ בְּעֵצְמוֹ כַּשֶׁר רָאוּ אָדָם וְחַוָּה בְּגֵבוּרָתוֹ בְּעֵצְמוֹ כַּשֶׁר רָאוּ אָדָם וְחַוָּה בְּגֵבוּרָתוֹ בְּעֵצְמוֹ כַּשֶׁר רָאוּ אָדָם וְחַוָּה בְּגֵבוּרָתוֹ בְּעֵצְמוֹ cum videret Adamus, se non perpetuò viturum in corpore suo per seipsum, necesse judicavit propagare speciem. Non quod liberis non dedisset operam, si in integritate mansisset, sed quod tum demum ea de re cogitaverit, cum mortalem se factum esse sensit. Quippe antea nondum ita familiariter cum Eva consueverat, ut eandem de conjugali iunctura compellere pudori consentaneum judicaret. R. verò *Sal. Jacobii* plus quam hypercritica subtilitas, quam ex differentia וְחַוָּה יָדַע אֶת חַוָּה & וְחַוָּה יָדַע אֶת חַוָּה comminiscitur, meo ingenio impenetrabilis est. Explorent alii vires suas & connexionem ostendant, qua prior locutio Adamum in statu integro adhuc constitutum innuat, quibus inventi gloriam lubentissime cedam.

§. III. Ad v. eund. *Roffedi virum est Jebonab.* Nisi omnino fallor R. *Sal. Ben Melech & Radak* particulam:

B

אָדָם

In hanc Historiam

Criticæ, Historicæ, Philologicæ, Theologicæ.

§. I.

AD v. l. *Homo cognovit.*) Cur modesto cognitionis vocabulo consuetudo viri cum fœmina appelletur, *R. Bechai*, subtiliorem quam par est, eruditionem ostentaturus exponit: דע כי התשמיש בלשון התורה נקרא ידועה והטעם לפי שהזרע בא מן המוח שהוא מקום החכמה והדעת ועוד תאור התשמיש היתה סבה עץ הדעת ולכן נקרא בשם ידועה: Scito, lecti officium, usu sacrarum literarum cognitionem vocari, propterea, quod semen è cerebro, quod est sapientia ac cognitionis sedes, defluit; deinde libidinis causa fuit arbor scientie seu cognitionis, idcirco usus uxoris nominatur cognitio. *Judicent Medicorum filii.* Recte & apposite *Simeon de Muys* in Variis Sacris: *Quod nusquam magis quam cum vir pro viro cognoscatur, fœmina pro fœmina, uxor pro uxore, idcirco videtur Scriptura viri cum muliere seu uxore consuetudinem eo verbo significasse.*

§. II. Ad v. eund. *Et homo cognovit Evam uxorem suam.*) Insolens & longe quæsitâ sententia est *Raschq̄*, qui ex eo, quod non dicatur: ארם וידע colligit, intelligendum hoc esse de antecedenti lapsum tempore, adeo, ut quæcunque de nativitate & statu primogenitorum filiorum Adami h. l. dicuntur, lapsum ascendant. Quod & Christianis occasionem dedit hanc quæstionem ventilandi: an Cain & Abel ante lapsum nati sint nec ne? Nullus tamen tam confidenter decidit ac *Jo. Clericus*, qui in Commentario ad h. l. *utrum autem cum uxore Ada-*

mæ

אִם aut Accusative accipiunt, aut quando per: *cum* ver-
tendum esse putant, sensu id faciunt longe alio, quam vul-
gò putatur, quiq; ad Christianorum mentem propius ac-
cedat. Vulgò enim existimatur, hoc eos velle, acqui-
sivisse Evam virum cum Domino, h. e. auxilio Divino.
Ego verò non sine ratione opinor, *et cum* h. l. non auxi-
lium, sed conjunctionem notare, ut Eva sua opinione
quidem possederit virum, sed simul cum Domino, h. e.,
qui ex parte vir esset, ex parte verò Dominus. Hoc
enim volunt Rabbini, Evam pronunciare velle, se qui-
dem non possidere filium, tanquam unum ex nobis, hoc est,
ex toto Deum, sed simul tamen cum effectu humano, qui
sua natura proveniat, Deum sive Divinitatis aliquid con-
necti. Dabo ipsa Ben Melechi verba: יש קנין שאין שם

מכירו וליה דמים כמו זה והדומים לוי ובפירושו
המצאתי בעולם איש שלי היתה בריאתו וכאחד
מסנו וקניתי עם השם כי הוא שם בו חלקי
שנפח בו נשמה וקניתי כענין קונה שמים וארץ
כלומר שהמציאת את העולם וסמכה המעשה לעצמה
לפי שהיא עקר המצאת הולד וכבטנה נוצר וגרל עד שיצא:

Quæ verba ita verto: *Sensu possessionis, quando aliquid
non est venditum neque pecunia acquisitum, ut in possessione
(agri, pecoris) & aliis. Et in interpretatione (R. Dav.
Kimchii) inveni, quod semper de homine, quando ejus cre-
atio non est sicut unius ex nobis (Gen. III. 22. vox קניתי usur-
perur) Et possedi ipsum cum Domino, quia ipse (Dominus)
posuit in illo partem suam, dum inspiravit ei animam. Et
sic: possedi usurpatur in illa significatione (Ps. XIV. 19.) possi-
dens cælum & terram: q. d. quoniam produxit cælum & funda-
vit opus suum in seipso, eò quod (sicut DEUS est funda-
mentum cæli & terræ sic) mulier sit fundamentum essen-*

tie

tie infantis, & in ventre formatur & crescit, donec exeat.
 Manifestum hinc est, Rabbinum per אתא, cum, non intelli-
 gere auxilium Divinum, sed partem aliquam, ut i a lo-
 quamur, Dei, seu aliquid Divinitatis. Ideo enim cum Do-
 mino possedisse Evam Cainum profitetur, quia Domi-
 nus posuerit partem suam in illo, non quod ipsi auxilia-
 tus sit. Ut adeo secundum ipsum sensus sit: possedi vi-
 rum hominem unà cum Jehovah, seu ex parte hominem,
 ex parte Deum. Nec mihi diversus videtur R. Aben
 Esra, cujus hæc sunt verba: על כן אמרו קניתי איש אתא
 ה' ואין שם זכר מלת אלהים: כי הנרה נמצא
 בארץ במין כאשר הונה במעלה בעצמה ומלת טוב כלל
 יכן כתוב ויראת אלהים את כל אשר עשית והנרה טוב
 מאד ורע חלקי: h. e. ideo dicit: possedi virum Dominum.
 In quibus verbis non meministi vocis אלהים (sed יהוה)
 quia ecce (vult Eva dicere) invenitur in terra in specie, qualis
 fuit (supra in essentia sua.) (i. e. non amplius solus DEUS
 potest creare homines ad imaginem suam, sed jam per
 generationem meam in ipsa terra ea species est, qualis
 est Deus in essentia sua.) Et vox טוב pariter bonum omni
 modo & perfecte dicit, sicut in illo: & vidit omnia, que fecit,
 &c. (Gen. I. 31.) Malum verò parsestantum aliqua. Non
 aliter possum capere hunc Aben Esram quam hunc in-
 modum: sicut primò Deus creavit hominem unà cum
 Deo seu imagine Divina: ita nunc Evam hominem pro-
 pagare non nudum, sed unà cum DEO seu imagine Di-
 vina. Vis nimis evidens, quæ אה, h. l. inq; tali vo-
 cum positu, interpositum nempe duobus nominibus re-
 ctumq; à verbo activo, non sinit nisi Accusative vocem
 accipere, Judæos illos coëgit, ut non quidem Christia-
 norum sententiam ex toto reciperent, tamen alia qua-

dam ratione ad eandem quam proxime accederent. Coniungi cum his Rabbiniſſis poſſunt *Jonathan*, *Paraphraſtes Chaldaeus*, qui verba convertit: *acquiſivi virum angelum ipſum Domini*; & veteres *Kabbaliſtæ*, qui teſte *Reuchlino*, *Evæ* verba ita interpretantur: *acquiſivi virum illum quatuor literarum*, h. e. *Jehovah*. Quæ ſuffragia cum ab aliis jamdiu fuerint adducta, negotium nobis nullum taceſſent. Nobis nequaquam conſtitutum eſt, hoc argumentum fuſe perſequi, ſed notatiuncula tantum quapiam deſenſam à Chriſtianiſſis plurimiſſis ſententiam quodammodo adjuvare. Temeraria omnino ſententia *Jo. Clerici* eſt, qui videtur vel ſolo novitatis & contradictionis ſtudio in Exegeſi ſua placere voluiſſe, quando nescio quo faſtu & innumerorum Theologorum contemptu hanc Criticam in communem Eccleſiæ noſtræ doctrinam exercet: *qui verterunt: virum Jehovaham, atq; Evam credidiſſe Cainem eſſe Meſſiam, qui Jehovah eſt, ſcripſerunt, ii, quanquam vix refutatione digni, fuſe ab S. Amama in AntiBarbaro conſutati ſunt*. Sed, Clerice, non tam levi vento tot virorum doctorum labores difflantur. Operæ potius pretium fuiſſet, ut in novo Commentario validiſſima rationum pondera, quibus ſententiam verioreſſam Theologi eruditione Amamæ nequaquam impares, demonſtrarunt, ad errantium convictionem, dejiceres potius de fundamentis ſuis, quam tam ſcabioſe ſententiam in illos diceres, refutatione indignos eſſe. Lege igitur Commentatores, *Gerhardum*, *Calovium*, *Varenium*. Si tibi facultas eſt, nec deſit voluntas, conjunge peculiaria ea de re ſcripta: *Helvici Deſiderium matris Evæ*, *D. Seb. Schmidii Fidem matris Evæ & Vener. Academiae noſtræ Senioris atque Exegetæ Cele.*

Celeberrimi, *D. Andr. Dan. Habichhorstii* Triverbium *Evæ*, in quo *Amamæ* argumenta fuse confutata sunt; poteratq; Clericus sanio-rem sententiam vel ex suæ religionis professore, *Herm. Witsio*, in *Oeconomia fœderum DEI* cum hominibus ediscere, qui neq; *Amamæ*, neq; *Drusii*, neque *Riveti*, neque innumerorum aliorum ex *Reformata Ecclesia* autoritate deterritus, veritatem ingenue pieque confessus est. Neque huic veritati quicquam ex eo decedit, quod non uno modo sensum verborum *Evæ* omnes exaudiant. Sufficit in eo convenire, quod vocem: **IN** hoc quoque loco quarti casus notam esse contendant, quanquam vulgò antehac *Evam* persuasam fuisse, se in ipso *Caino* *Messiam* possidere, crediderint, cum postea primo, ut puto, autore *D. Seb. Schmidio*, deflecti ab hac sententia cœperit, existimarique, *Evam* potius fidem suam in *Messiam* futurum inter partus dolores ad solatium inde capiendum prodidisse. Quam sententiam *Calovius* quoque & *Pfeifferus* in *Dub. Vex.* amplexi sunt. Nescio an ab eadem distet *Doctisf. Witsii* opinio, cujus hæc sunt verba: *Scilicet pia mater continuò animo suo versans promissionem illam DEI, quæ omnis consolationis fundamentum erat, simulatque puellum peperisset, in illius genitura argumentum præstandæ promissionis animadvertit. Leta ergo exclamat, se jam acquisivisse semen illud promissum: non quod existimaverit, Cainum illud semen esse, sed quod in nativitate Caini primam generis humani multiplicationem cerneret, & in ista multiplicatione argumentum suæ spei de semine nati ἐξ ὧν suo tempore oriundo. Quod quum magna fidei ὠνεσφορέα apprehenderet, & ut præsens sibi sisteret, ita nunc loquitur, quasi ipsa in nativitate Caini id obtinisset, quod, argumento ab ista nativitate desumpto, certa fide præstolabatur.*

B 3

labatur.

labatur. Nam si existimasset, ipsum Cainum promissum Messiam ipsumque Jehovah esse, cum, licet filium suum, religioso cultu venerata fuisset, hoc pacto ream se fecisset horrendæ idololatriæ; donec vel ex prava pueri indole, vel aliunde monita, errorem suum agnovisset. Quæ ut de communi parente credamus, non sinit pietas.

§. IV. Ad v. 2. Et addidit peperitq; Abelem.) Raschi ad hæc verba ita scribit: ואת קין את אחיו את הבל שלש אתים רבוי הם מלמד שתאומה נולדה עם קין etb Kain, etb Abiv, etb Hebel, tria Eib notant multitudinem. Docent nempe, quod gemellinati fuerint, cum Cain & cum Abel nati sunt duo. Inde etiam dicitur; & addidit. Sensus paulo obscurior Apellæ hic est: non hoc loco ut alias dicitur: & addidit & concepit & peperit; quo pacto intelligeretur, diverso tempore concepisse Evam & Cainum & Abelem. Sed cum dicatur: & addidit & peperit, sine prævia scil. nova conceptione, ideo intelligi, una eademque impregnatione & Cainum & Abelem conceptos & uno eodemque partu utrumque in lucem editum esse. Guil. Saldenus quidem in Ot. Theol. Libr. II. Exerc. VI. futile Judæi deliramentum vocat; & iudice Thoma Gathakero stupres meri sunt, quibus ista probantur. Sed non observatio adeo absurda est, ut Judaismi odio nonnunquam nobis videri queat. An verò improbable nobis sit, mulierem, à manu DEI quasi calidam, ut aliis animi corporisq; per naturam viribus, ita & generandi virtute fœminas cœteras omnes excellentissimo gradu ita superasse, ut gemellos primo partu excluderet, cum id non rarò faciant fœminæ vulgares, eandemque prolificationem tum requireret mundi amplificatio? Nec ineptum est, id in textu intelligi, quod
in

in eodem tot verbis non exprimitur. Quod si gemelli haud fuerunt, quí fit, quod æquali studio familiaeque curis addicantur, dispertitis inter eos operis, ut alter agrum coleret, alter pecoris ageret curam? Nempe reliqui, qui succedebant, fratres, intermixtis subinde scemellis, juniores fuerant; hi verò ut ætate pares, ita negotiis quoque paribus adplicari poterant. Itaque horum etiam solummodo fit mentio, cæteris silentio obvolutis. Gemellos fuisse Cainum & Abelem Jo. Lightfootus etiam persuasus fuit in Chron. Temp. & Notis in Genesin.

§. V. Ad v. eund. *Fratrem ejus Abelem.*) Non additur ratio, cur ita fuerit appellatus. Verosimile autem est, nec à communi omnium hominum vanitate, quippe quod nimis generale est, nec Prophetico spiritu à futura suæ cædis infelicitate ita appellatum esse. Quæ est *Simonis de Muys* sententia. Qui & *R. Cavi* opinionem refert, qui scribit, Adamum Cainum ad rem sacram faciendam destinasse. Unde ei magnificum imposuerit nomen, Abelem verò negotiis domesticis, quæ cum res vanæ essent, si cum Divinis comparentur, filium quoque inde voluisse nuncupatum. Quæ meras redolent fabulas. Qui putant, Evam Cainum suum pro Messia habuisse, dicere utique poterunt: vidisse interea Evam, se fuisse in opinione sua deceptam, itaq; vani nominis impositione errorem suum voluisse confiteri. Quod verò ab aliis, qui fiducia potius Messiam suum amplexam fuisse Evam statuunt, quam ut personam Caini pro Messia habuerit, meritò rejicietur. Sed si quid conjectare fas est, vanitatis vucula Abelem dehonefavit, quod corpore infirmior & pusillus prodierit, ut fieri vulgò in geminis solet, adeoque præ fratre vividiore robustioreq; vitam suam ad exiguum dierum spatium & quasi

quasi nullum tracturus esse videretur. Si quid verifimilius à quoquam proferri poterit, eundem avidissime amplexabimur, nec surripiemus inventi gloriam.

§. VI. Ad v. 3. *Ut offerret Cain.*) Quærit *Ben. Pererius* h. l. unde sciverint hi fratres in exordio mundi sacrificia offerre Deo? Respondet, potuisse hoc eos docere Adamum & potuisse etiam nullo docente ex tacito quodam naturæ instinctu cognitum habere. Hanc enim ostendere, DEUM esse ab homine omni cultu tam interiori quam exteriori colendum. Sicut autem, qui civili majestati subjecti sint, munera offerant dominis suis, tanquam argumenta subjectionis suæ; ita idem fieri debere ab homine erga Deum, ex ejusdem rationis dictato patescere. Libentissime hoc defendunt Romanæ partis affectuæ, ut sacrificia, tanquam jure naturæ subnixæ, in N. quocumque T. nominatim id sacrificium, quod Missaticum vocant, superesse necessariò debere obtineant. Discernenda ante omnia sunt sacrificia evcharistica à propitiatoriis. In his naturæ nihil omnino negotii est, cum Deum animalium sanguine coli, eorumque mactatione hominibus conciliari, non tantum nullo naturæ aut rationis argumento constet, sed rationi omni etiam adversetur. Quæ enim connexio inter bestiarum mortem est & iræ Divinæ, peccatis accensæ, propitiationem? Cum nec illam Deus unquam requisivisset, nisi præfigurari illa Christi mortem, iram DEI placantem, voluisset. Quod ad evcharistica spectat, non absurdum aut inconveniens rationi est, dona Deo offerri, animum gratum DEO testantia, quanquam his non indigeat Deus. Credibile tamen non est & his DEUM colere voluisse primos illos mundi incolas sine Divinæ voluntatis exploratione.

ratione, quam quotidie in familiari cum Deo conversatione cognoscere poterant, ne colerent herum suum ex suo potius arbitrio, quam Dei nutu. Cumque nulla mundi ætate coli Deus salutariter extra Christum potuerit, Act. IV. 12. X. 43. XV. 11. Abel quoque fide in Christum sacrificium suum obtulerit, Ebr. XI. 4. fides verò non oriatur, nisi per verbum, Rom. X. 17. Ebr. XI. 1 fieri non potuit, quin sacrificantes verbo Divino tum de ipso sacrificio, tum de præfiguratione Christi, tum denique de fiducia in hunc unice ponenda fuerint à Deo informati.

§. VII. Ad v. eund. *Sacrificium.*) R. *Sal Ben Melech* specimen eruditionis suæ Grammaticæ editurus probat, vocem מנחה non ab alia radice, quam à מנח provenire posse, quia pluraliter legatur מנחות cum Scheva, similes verò voces, utpote שמרה / שפחה à similibus quoque radicibus descendant. Quod si radix ipsius נחה foret adeoque מ ab initio vocem augetet, æquum foret, ut pluraliter מנחות legeretur, מ scilicet cum Chirek, sicut in simili מצות dicitur; aut certe מנחות, sicut à נחה, מרות legimus.

§. VIII. Ad v. eund. *A fine dierum.*) Ex omnibus reliquis sententiis illa mihi tanquam verisimilior placet, quæ finem dierum anni, h. e. finem civilis anni intelligit. Hoc enim nempe mense Septembri fructuum terræ rationem in offerendo habitam fuisse, vetustissimi Talmudistarum historici tradunt. Consule Buxtorfium in Synagoga. Tum enim poterant fructus omnium pulcerrimi ipsaque novitate sua delectabiles Deo incultum suum separari. Atque eo ipso ex verbis Mosaicis: *Et obtulit Cain ex fructu telluris, Caini avaritia &*

C

hypo.

hypocritis innuitur, quod non ex fructibus terræ novis & pretiosis, sed ex qualibuscunque, seu ut *Aben Ezra* notat, vilioribus obtulerit. Quod Judæus ex opposito colligit, quod Abel obtulisse dicatur non ex pecoribus simpliciter, sed ex adipibus pecorum. Plane hæc est sententia *Aben Ezra* in hunc locum: ועל דעתי כי נקראת השנה תמימו ימים *secundum meam sententiam vocatur perfectus annus dies*, pluraliter nempe ימים seu dierum nomine posito, absolute, ut ait *Fagius*, nec addito numero. Quod & alibi fieri Judæus probat ex Lev. XXV. 29. ubi: *dies* (pluraliter) *erit redemptio ejus*, i. e. intra annum integrum; additque hujus loquendi consuetudinis rationem: בעבור שישבו הימי באורך או בקוצר כאשר היו בתחלתו *& ratio hujus significationis est, quia semper redeunt dies, sive in parvitate, sive in extensione, sicuti fuerunt ab initio.* Nec Clerici exceptio adversus hanc sententiam alicujus momenti est, qui quærit: *sed hic à quo tempore initium anni faciemus?* Quid enim hac quæstione opus est, si annum civilem intelligamus, qualem intelligi omnino necesse est ex materia, de qua loquitur *Moses*? Unde aliter initium anni sumetur, nisi ab ipsius fine? Inter finem namque anni & alterius initium non intercedit, nisi temporis momentum. Verba autem Mosaica ad tollendam omnem ambiguitatem & sensum loco plenissime restituendum hunc in modum vertenda sunt: in fine vel post finem verò ejusdam anni, ubi omne genus fructus terræ pro more maturuerunt, oblationem ex illis fructibus Cain Deo obtulit.

§. IX. Ad v. eund. *Et adduxit.*) Qualis hæc fuerit oblatio, non parum discordant autores. Meminit

essent inepti? Igitur ne nihil attenditur illud Apostoli, quod primus homo conditus sit *καὶ ἡμιγενῶν καὶ ἰνὴν ἔκλειον* *ἢ ὡς ἔν?* Anne tam parvi tibi videbitur *notitia ad imaginem creantis ipsum?* Homo igitur, qui non notitiam tantum, sed notitiam talem, qualem creator ipsius possidebat, in pectoris sui scrinio habebat, homo simplici ingenio & ad inveniendum prorsus inepto, fuerit? Rectius utique clarissimos sacrarum Scripturarum fontes, limpidissimam nobis veritatis aquam propinantes, quam turbida ista corruptæ rationis figmenta sequeremur, nisi novitatis studio majori gregi placere omnibus semper viribus aniteremur.

§. X. Ad v. 4. *Ex primogenitis gregis & adipibus eorum.* Hactenus Abelis animus ex doni bonitate & pretio describitur. Nec enim ex: *הצון* simpliciter, sed: *הצון* *מבכורות*, *ex primogenitis pecudum*, quæ tanquam prima animalium virtus & formosiora plerumque & corpore perfectiora fuerant, & *ומחלבהן*, *ex pingvioribus & obesioribus DEO adducebat.* Quamquam alii Substantive capiant vocem velintque, præcipue animalium adipem DEO oblatum esse, quippe quem in toto animali acceptissimum sibi esse in Lege postea Mosaica testatus est DEUS. Utrumque verum est: pinguiora animalia, ideo obtulit, ut eorum pinguedine eo gratiorem DEO cultum præstare posset. Quoad vocem *R. Sal Ben Melech* notat, *ומחלבהן* plurale esse, quanquam eliso Jodh, quod tamen in pronuntiatione moveri debeat hoc modo: *ומחלבהן*, *Umehelbeben*. Indicium enim pluralitatis immotum *ן* Tzere nobis constituere. Sed vide tu hic iterum & admirare prurientis ad nova ingenii *Clericani* Specimen. Negat Abelem ipsa primogenitorum corpora obtulisse,

liffe, nec etiam credit obtulisse pinguedinem, sed lactantum primogenitorum & pinguium, quod & antiquissimos Ægyptios fecisse Diodorus Siculus testetur. Rationes adfert: quia *κρίωφασία* ante diluuium ignota esse videatur, neque ideo, iudice *Grosio*, victimæ tum Deo mactari potuerint, cum nihil Deo sacrari soleat, nisi quod in usu sit hominum. Addit rationem aliam, quæ ex raritate pecudum petatur. Cum enim initio illo tennes essent greges boum, ovium & caprarum, vix esse credibile, beneficium Numen eos in honorem suum, hominumque detrimentum voluisse minui. Quare virum summum putare, lanam obtulisse Abelem, se verò lac. Sed an infirmis adeò fulcris nova sententia innitetur? Quid magis dubium est, quam ante diluuium carnibus vesci non consuevisse mortales? Quo enim argumento, eoque invictò, id comprobabitur? Et si tam grandi differentia utrumque à se tempus differebat, utrumne credibile est, id manifestioribus verbis nullibi fuisse insinuaturn? Et, me quidem iudice, alterius argumenti, cui majus tamen robur tribuit *Cleuius*, tantum est frigus, tanta imbecillitas, ut sola illa consideratione in fumum abeat, quod unus homo vel centum vel mille animalium, ad comestionem aptorum, & ex his quorundam ipsam hominem magnitudine, vel quater vel sexies superantium, carnes potuissent comedere. Poterat comedere boves, tauros, vitulos, capras, hircos, sylvestres pariter atque domesticos, cervos, cuniculos, lepores, oves, sues, ranas, testudines, alburnos, albulas, haleces, anguillas, araneas, crustaceas, asellos, astacos, auratas, barbos, caneros, cantharos, carpiones, cochleas, conchas, cyprinos, erythrophthalmos, lucios, murenulas, natos, ostreas, sal-

C 3

mones,

mones, sturiones, truttas, alaudas, anates, mergos, anferes, attagenes, cardueles, columbas, coturnices, cygnos, erythropos, ficedulas, fringillas, gallós, vulgares & Calcutentes, domesticos & feros, merulas, paros, passeres, perdices, phasianos, picas, sturnos, turdos & innumeralia id genus, quorum vix decimam partem enumeravimus. Vide verò, quam stupendus sit animalium numerus, quo vesci unus homo debuisset, ut multiplicato homine in duos, isthæc animalia interea in millena fuissent multiplicata. Ut adeo cura & sollicitudine nequaquam fuerit opus, quomodo sufficere sine necessaria bestiarum propagatione ad alimentum homini præbendum potuerint. Pleraque enim animalia, cum homo plerumque generando in unitate subsistat, cœtera contra ternum quaternumve, nonnulla ad decimum, ut fues, alia, utpote è volucribus multæ ad trigefimum vel quadragesimum etiam usq; fœtum sese multiplicent. Verendum potius fuerat, si tanto præ homine numero multiplicatæ fuissent bestiæ, quin à vitæ insidiis tutò ab ipsis vivere non potuissent. Itaque vel ob hanc causam consumendæ potius quam conservandæ fuissent.

§. XI. Ad v. eund. *Et respexit.*) וישע idem esse ac: ויפן, expediti negotii res est apud omnes interpretes. Unde verò cognitum fuerit, DEUM gratiose Abelis sacrificium, non Caini, respexisse, post *Theodotionem*, qui jam olim אשע : א convertit per : *inflammavit*, R. *Aben Ezra* exponit: ויתכן שיררר אש ודשנור מנחת הכהן ולא מנחת קין, *Et convenit, quod descenderit ignis & consumpsit sacrificium Abelis & non Caini*, quod repetit *Raschi*. Cumque ejusmodi indicio postea quoq; acceptum sibi esse sacrificium significaverit DEUS, cujus rei exempla extant Lev. IX. ult.

IX. ult. 1. Reg. XII. 38. II. Chron. VII. 1. Jud. VI. 21. vix quisquam Christianorum est, quin huic sententiæ calculum libentissime addat suum.

§. XII. Adv. eund. *Concidit vultus.*) Recte *Aben Esra* concidere vultum פניו בורר, per pudefieri interpretatur. Duo nempe de Caino dicuntur: & iratum fuisse fratri suo & concidisse vultum ipsius. Quæ duo non sunt ἐπισημασμένα, sed diversa. Primò irascebatur fratri, quod ejus sacrificium majori honore dignaretur Deus, quam suum. Deinde cum suummet sacrificium immediato è cælo igne accendi nunquam vidisset, pudore suffusus, vultum demisit. *Er hat bey seinen Opfern das Maul gehengt oder melancholisch und verdrißlich oder stürmisch, ausgesehen.* Putaverim, non semper Abelis sacrificium incendisse Deum, quemadmodum nec omne sacrificium in tentorio, sed primum tantum inflammavit, Lev. IX. 24. Quod nec in cæteris exemplis perpetuò factum est; sed in solennioribus tantum extraordinario hoc signo amorem suum Abeli testatum fecisse. Inde cum eundem honorem semper exspectaret, nunquam obtineret Cainus, pudore confusus vultum suum adversus Deum mutavit. Recte idem *Aben Esra* opponi פניו פניו: תו, *concidere faciem*, תו: פניו, *elevaré faciem*, observat. Ut enim, qui sunt confuso animo, inq; fortuna sua non acquiescente, faciem terram versus convertunt & labia quasi in solum prominula gerunt, utpote cum Judæorum inimici, cum omni vi sua efficere non potuissent, quò minus Jerosolymorum muri ædificarentur, נפלו מאור בעיניהם, *ceciderunt valde in oculis suis*, i. e. oculos, vultus, labra præ pudore demiserunt in terram, animi sui ægritudinem

per

per id testati. Neh. VI. 16. Ita, qui læto sunt animo, frontem gerunt exporrectam, oculosq; & ora ad cœlum protensa.

§. XIII. Adv. 7. *Si bene feceris, Seetb.*) Tam dubia totius hujus loci sententia interpretibus cum Judæis, tum Christianis visa est, ut vix unus cum altero concordet gerat amicitias. Id facit insueta illa constructio & elliptica vocis פָּנֶיךָ positura, Infinitivo præterea pro nomine usurpato. Itaque, *si bene feceris*; alii generatim, si recte feceris coram Deo, alii, si recte obtuleris sacrificium animo puro atque illibato, inque Messiam directo; פָּנֶיךָ, alii, erit ablatio peccati, opposita custodiæ peccati, de qua postea, ut *D. Seb. Schmidtus*; alii, erit remissio, ut *Ben Melech*, alii, erit exaltatio, nempe faciei, *du wirst GOTT und Menschen getrost unter Augen gehen und dich alles liebes und gutes zu ihnen versehen* / ita *Varenius & Pfeifferus* in *Dub. Vex.* & ex Ebræis *Ramban & Aben Ezra*.

§. XIV. Adv. eund. *Si non bene feceris, peccatum cubat ad ostium.*) Quod nempe te canis ad instar perpetuo irrequietum, animo turbidum, vultu demissum, reddet. Ut adeo mirum non sit, te mox in iram adversus fratrem exardescere, mox Deo ipsi obmurmurare. Jucunda videtur circa hæc verba sententia *Jo. Lightfooti* in *Chronico temporum & Observationibus* in *Genesin*, qui his verbis loci sententiam repræsentat: *Si bene egeris, futurum est, ut certò sis acceptus. Et quamvis non egeris bene, tamen רבץ הסאת לפתח הטהור, adjacet foribus victimæ, quam possis pro peccato offerre, adeoque spes veniæ erit, mox te pœniteat.* Notat autem & vocem: פָּנֶיךָ frequenter pro sacrificio pro peccato accipi, & sacrificia
ad

ad januam tabernaculi consuevisse adduci; DEUM etiam è cœlo venisse, non dejecturum Cainum, sed è dejectione eum erecturum. Dubitare tamen quis possit, utrum Deus verbis ex incognito tum temporis more & multis post seculis nato desumptis, quæque adeo intelligere ipse non poterat, Cainum fuerit allocutus? Nec est, quod excipias, Mosen sui temporis mori verba attemperasse. Quid enim hoc opus habebat? Cum si iis verbis, quibus ipse DEUS fuerat usus, Divinam mentem repræsentasset, peræque perspicue fuisset locutus. Nec verò solatio erigendus erat Cainus, qui pœnitentiam nondum egerat, sed ostendendum potius, quod injustè fratri irasceretur ob favorem huic exhibitum, cum si eadem animi bonitate gauderet, causam tristitiæ aut indignationis nullam esset habiturus, si verò in peccatis perrecturus, mirum non foret, si peccatum irrequietos animi motus velut latrando in eodem esset excitaturum. Quæ longè aptissime connectuntur. *At verò ad se solum tuumque arbitrium redit desiderium ejus.* Suffixum masculinum, quod non videtur referri posse ad אִשָּׁתָא fœmininum (quam hanc ipsam vocem masculini generis esse cum Petro Martyre, quem refellit Tarnovius, scribat ad h.l. Castalio, tolerabilius fœmininum ponendo masculini אִשָּׁתָא rationem habitam fuisse, Mercerus, eo quod peccatum primò infirmum sit, sicut fœmina, sed postea ut masculus invalescat, ceu ex Bereschith Rabba ostendit Chr. Caribwrigthius in Mellificio Ebraico, Bibliis Criticis annexo) effecit, ut plurimi magnique nominis Philologi, Judæi pariter & Christiani, referrent vocem ad Abelem, hoc sensu: sed quid tu, Cain, conquereris de fratre tuo, quasi observantiam erga te primogenitum

D

exueret,

extiteret, tibi que justas succensendi præberet causas? Cum totum ipsius desiderium studiumque te colendi in te jure meritoque feratur, adeoque tu pro jure tuæ primogenituræ in ipsum imperium libere exercere queas. Quam versionem, post Jo. Chrysostrum ex antiquis, hac ætate & Jo. Clericus in Belgio & Job. Elias Terferus in Svecia & Christian. Noldius, in exquisitissimis annotationibus ad particularum Concordantias, in Dania & Jo. Henr. Otho in Lexico Rabbinico in Helvetia & Franc. Valabius h. l. in Gallia, quiq; nobis מַדְּוֹן אֲרִיזָהּ אֲדָוֹן, in selectissimis annotationibus Biblicis, Jo. Quistorpius & in Exercitati Jo. Tarnovius, immortalia quondam Academiæ nostræ ornamenta, amplectuntur. Ne de reliquis dicamus. Ita sententiæ verisimilitudo doctorum animos occupavit. Sensum igitur repræsentat R. Ben Melech; לְמַדְּוֹן אֲרִיזָהּ לֹא קִבַּלְתִּי מִנְהַרְוֵי הַכֹּהֵן וְהוּא כִּי אֵל מִשְׁמַעְתָּךְ וְהָאֵל כִּי מִשְׁמַעְתָּךְ כִּי מִשְׁמַעְתָּךְ כִּי מִשְׁמַעְתָּךְ cur irasceris, quod gratiose susceperim. Sacrificium Abelis, cum tamen ipse se disponat ad obedientiam tuam & tu quasi dominaris ipsi? Plenius Clericus; ne putes, inquit DEUS, licet tuum adversatus sim sacrificium ob pravam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideo primatu te destituam & primogenitura dignitatem à te auferam. Nam licet honore ego illum persecutus fuerim, acceptaque fuerint illius dona, ad te tamen conversio illius & tu dominaberis illi. Itaque etiam post peccatum hoc permisso, ut primogenitura privilegio gaudeas, illumque sub tua potestate esse jubeo. Placet utique hæc tam commoda, tamque verbis textuique conveniens expositio. Qui tamen communem & à Lutero expressam opinionem sequuntur, הַיּוֹקֵן וְהַיּוֹקֵן in השוקן vel enallagen esse arbitrantur, vel, ut vult Dr. Seb. Schmitz

dius

dius, ad רבץ, *cubans*, reterunt. Nempe canis ille pravae concupiscentiæ ante ostium cubans, in tua potestate est, utrum in flagitia & scelera portam ei aperire, an verò dominium, quemadmodum poterias & deberas, exercere adversus eundem velis.

§. XV. Ad v. 8. *Et dixit Cain ad Abel.*) Supple: הַרְבִּיּוֹת הָאֱלֹהִים, *res illas*, à DEO sibi revelatas. Percommode enim exprimit *R. Abendana*, quid dixerit Cain

Abeli: וַיֹּאמֶר רָחוּק שֵׁנָה לְ מַרָה שֶׁהוֹכִיחוּ הוּא עַל אֲוֵרוֹתָיו כְּדֵי שִׁיחֲשׁוּב הַבְּרָא שֶׁכָּבַר סָרַח עֲבָרָתוֹ מִסֵּנוּ וְכֵן הִירָח שְׁחוֹנָה לְאֵל נִשְׁמַר וְכֹאשֶׁר מֵצֵאוֹ בְּשִׂרְדוֹ יַחֲדָיו הִרְגָה, *nec incredibile est, quod dixerit ipsi, quomodo increpaverit ipsum DEUS propter ipsum, (Abelem) ut cogitaret Abel, quod jam recesserit ira ipsius ab ipso & ita factum fuit, quod sibi ipsi non caverit & postquam ipsum invenit in agro solum, occiderit ipsum.* Ut enim clandestinum suum consilium de removendo ex medio fratre suo quacunque arte contegeret, omnino fuerat opus, ne frater adversus insidias sibi structas paratis armis telisque vel fratri occurreret, vel eundem præverteret. Hypocriti igitur utendum sibi esse non immerito ratus est fingendumque, reprehensum se haud leviter à Deo, quod hæctenus inimicitias adversus ipsum gesserit, frater adversus fratrem, velleque posthac, mutato in melius animo, omni amicitia Abelem demereri, ut pari gratiæ suæ signatura sacrificia posthac sua dignetur DEUS, neque ob contemptum sacrificii sui in reliquorum omnium suorum fratrum contemptum amplius adducatur. Hoc enim modo securum Abelis animum, nihilque periculi sibi timentem, reddidit, ut tuto crederet, se semetipsum corpusque suum in

abdito etiam absque mortalibus omnibus remoto loco illi posse concredere. Nec hanc opinionem destruit *Jo. Clerici* objectio, quod in tanta ira Cain ita loqui non potuerit. Quasi verò summæ iræ indicium non sit

— — *premere alio corde dolorem,*

ut eò atrocius nocere queas. Quicquid de cœtero colloqvii Abelem inter & Cainum intercessisse conjiciunt, utpote quod de judicio Divino in hac & in altera vita adversus contemptores DEI legumque Divinarum exercendo, Chaldaica paraphrasis apud *Drusum*, vel delegitima in imperium ditionemque paternam successione: אִי זֶה מֵהֶם הַרְצוּי לְהַיִּוֵת בְּמִקּוֹם אָדָם וּסְגִלָּתוֹ וּלְכוּ לַנְּחֻל אֶרֶץ הָאָרֶץ וּלְהַדְבֵק בְּעֵנֵן הָאֱלֹקִי וְיִהְיֶה זֶה וְלֹהוּ כְּקִלְפֹּדִים: i. e. ex versione *Buxtorfii*: *quis scilicet illorum dignus sit futurus successor Adami, ejusque cor & peculium, ad hereditate possidendam terram illam & rei Divinae participationem, quisve instar corticis; (rejectitii) ceu hoc contentions argumentum refertur in Libro Cosri Parte II. §. XIV. seu quodcunque aliud, id infra probabilitatem illam descendit, qua Abendana sententia gaudet. Quæ de prætenso verborum hic quorundam defectu à Vulgata Bibliorum versione ex Samaritano codice & quorundam Rabinorum lacunis suppleto, à Romanæ & partim etiam Reformatæ Ecclesiæ scriptoribus, imprimis Ludov. Capello, quibus se denuo novitatis gratia associat Clericus, pro probanda sacrarum literarum imperfectione, objiciuntur, ea discussa sunt cum ab incomparabili scripturariæ puritatis vindice Jo. Buxtorfio F. tum ab innumeris aliis nostræ partis Philologis, ut actum agere non sit necesse. Nec enim Piska seu pausa, circello in textu notata, lacunam seu defectum textualem ex Masoretharum mente notat,*

ex

ex iactura vocum ortum, sed sensus potius hiatum, ex contextu nempe supplendum. Nec ויאמר אמר, dixisse aliquid Cainum, quod fuerit in textu omissum, sed locutum ad eundem esse, ceu & Lutherus recte convertit, significat. Quo sensu & אמר accipitur Exod. XIX. ult. Ps. CXXIX. 10. Vid. Pfeifferi Hermenevtica Sacra.

§. XVI. Ad. v. eund. *Cum essent in agro, occidit ipsum*) Curiosus hic & vehementer sollicitus est Clericus, cur in agro dicantur fuisse, cum nulla tum fuerint urbes, quarum respectu dicantur agri. Forte extra urbes nunquam fuit Clericus, qui ignorat, agrum dici etiam respectu unius domus, cui ager circumcirca adiacet. Similis subtilitatis quæstio est, quam notante *Aben Esra* Judæi nonnulli moverunt, quomodo occidere Cain Abelem potuerit, cum gladio fuerit destitutus? Quam Rabbi merito vocat quæstionem; ביום סגור, in die pluvie obnatam. (intelligit autem, explicante doctissimo *Hilperto*, libro de Præadamitis, homines, qui se secludunt & sub tecto continent, adeoque nihil ferii quod agant, habent) Quam Jurisconsulti nostri vocarent Domitianam.

§. XVII. Adv. 9. *Ubi Abel frater tuus?*) Equidem capitale hic iudicium, indice *Varenio*, in Cainum exercet Deus, justus orbis iudex, atque adeo à cognitione causæ incipit: *ubi est Abel, frater tuus?* Ita tamen, ut simul gratiæ suæ in peccantem non sit immemor, sed amabilissimis verbis eundem ad pœnitentiam invitet; recte dicente *Raschio*: להכנס עמו ברברי נחרת אולי ישיב ויאמר אני הרגתיי וחטאתי לך; *ita exordium sermonis cum ipso ingreditur, verbis ad omnem humanitatem compositis. Cogitabat enim inra se DEUS; forte revertetur & dices: ego occidi ipsum & peccavi in te. Quam*

D 3

verò

verò fallit parricida maximum optimumq; Numen? *Deo illudit, ait Fagius, arguentem irridet atque cum indignatione & sanna contemnit, Nescio, inquit Cain, anne fratris mei ego custos sum? O os impudens & creatori suo nefarie oblatrans! Denuo recte Jarchi: העליונה דער כגונב בעשה non aliter in hoc facto se gessit Cain, ac si scientiam Dei altissimam suffuraretur.* Quam infana ferocia est Dei oculis aliquid velle surreptum! Nec hoc tantum, sed præterea etiam Deo subtrahere in propriam creaturam imperium: *num custos fratris mei sum? Mihine hoconus, hoc officium impones? Apage. Tres sciscitatos esse Deum & reperiisse eos tanquam matulam urinalem, Cain, Ezechiam & Bileam, ajunt pulcre apud Fagium veteres Ebræi; ubi & expositio hujusrei uberius habetur. Delictorum hic gravissimorum cumulum fufe enarrat D. Calovius.*

§. XVIII. Ad v. 10. *Quid fecisti?*) Non dicit: furcifer, quid mihi obloqueris? Anne fulmine te meo huic, in qua stas, telluri, infigere debeo? Sed ô admirabilem DEI longanimitatem: *quid fecisti?* Redi adhuc in temetipsum & scelus tuum seriis lacrymis deplora.

§. XIX. Ad v. eund. *Vox sanguinum.*) Longe veritati vicinius est multitudinis numero sanguines dici, quia copiosissimum variis in locis sanguinem profuderit, quanquam non eam ob causam inflictis ubique vulneribus, quia nesciverit Cain: *מהיכן נפשו יצאה? unde seu ex quo loco anima ejus extura esset, ceu ineptit Abendana cum Jarchio, sed quia fuso exiguo sanguinis flumine non statim vita perit & anima à corpore dissolvitur.* Vicinior, inquam, veritati hæc est sententia, quam illa, quæ posterorum etiam Abelis sanguinem respici arbitratur. Ita *Ben Melech* ex Targum.

§. XX.

§. XX. Ad v. eund. *Clamantes ad me.* Vulgò Grammatici enallagen hic numeri, qualis & in aliis linguis frequenter occurrit, esse proclamant. Memorabili hic digressione *B. Varenius* ostendit, enallagarum, sicut & aliarum id genus figurarum in sacrosancta Scriptura & lingua, quæ cum primæva sit ipsi⁹ Dei & Adamo *θεογονος* & non ex illis, quæ confusam habuerunt Babelis originē, linguis, earumque imperfectionibus, mensurandam venire, multiplicationemque istiusmodi figurarum pro ignorantia & audacia theatro reputandam esse. Quare immerito ex Occidentalium linguarum imperfectionibus sanctam linguam primævam, adeoque matrem ex filia dijudicari, quin potius singulares in Ebraismo loqvendi modos nativos esse & elegantes linguæ flosculos, ad aliarum linguarum impuritatem nequaquam æstimandos. Unde in istiusmodi loqvendi modis posterius Adjectivum respondere priori recto, non verò priori regenti. Utpote cum dicitur Jer. X. 12. קול שׁמׁוֹבֵר הַנּוֹרָא בָּנָה *vox rumboris ecce venit*, vocem: בָּנָה inepte dici positam per enallagen pro: בָּנָה, referendamque ad: קול, *vocem*, sed sine omni impropriate reflecti: שׁמׁוֹבֵר בָּנָה ad: שׁמׁוֹבֵר, hoc dilucido sensu: *Es ist eine Stimme des Getümmels. Siehe ist kömt es (dasselbe Getümmel) und hat bey sich eine gewaltige Bewegung.* Ita & plane nostro in loco: *Es ist eine Stimme des Bluts deines Bruders; Dasselbige Blut deines Bruders schreyet gar zu mir von derselbigen Erden.* De cætero clamare dicuntur sanguines è terra, seu vindictam expetere à DEO, tanquam sibi debitam, majore quidem nisu impetuque, quam reliqua omnia peccata. Quia ipsa in re typum Christi Abelem fuisse auctor epistolæ ad Ebræos affirmat Cap. XII. 24. Quem per

per sua membra eleganter evoluit *Petr. Dan. Haectius De-*
monstr. Evangel. Prop. IX. Cap. CLXX. §. II.

§. XXI. Ad v. II. *Et nunc maledictus ex terra.*)
Non dicitur maledicta terra, quemadmodum olim pec-
cante Adamo ipsi terræ maledicebatur: ארורה הארץ
בעבורי *maledicta terra propter te*, sed notanter dicitur:
maledictus tu ex terra, i. e. in eo eris maledictus, quod
hanc ipsam terram, sæcundam fertilemque, posthac
non sis amplius inhabitaturus, sed in exilium ejiciendus,
idque ideo, quia illa terra sanguinem fratris tui in se re-
cepit & os suum aperuit. Non quod terra aperiendo os
suum & sanguinem recipiendo vere potuerit peccare,
pœnamque promereri, sed quod ad detestationem tanti
sceleris Deus terram illam non aliter respexerit, ac si quo-
dam voluntatis concursu in fraternæ cædis commu-
nionem venisset. Quanquam ego quidem dubitare nolim,
reliquam Adami familiam fratricidii horrore terram Ca-
initicam postea incultam reliquisse, donec longo tempo-
ris tractu & genere humano in immensum crescente, hor-
rore isto paulatim diminuto, culturæ denuo subjiceretur.

§. XXII. Ad v. II. *Quasi colueris terram.*) De ea igitur
terra loquitur, in quam vagus profugusque posthac
deventurus esset, quæ maledictioni illi ob facinus alibi
patratum objicienda foret. *Hæc non addet dare tibi vim
suam*, h. e. interprete *Fazio*, non tantum dabit, quantum
bene possit. *Etiam optime culta maligne votis respondebit.*
Facies quidem multam sementem, parvam autem messem.
Priorem terram non sponte deseruit, sed pulsus, ceumox
dicitur. Fabulas verò sapere videtur, quando *R. Aben-
Esra* in longinquas eum terras ideo ablegatum esse con-
tendit, ut ad patrem postremò prope paradysum habi-
tan-

bitantem reverteretur. Quis enim dubitet, jam tum Cainum, tanquam filium Adami primogenitum, terram Adamo proximam incoluisse, ut non opus fuerit, per longas ambages ad eundem iterum locum redire.

§. XXIII. Ad v. eund. *Vagus & profugus eris in terra.*) Quamquam & Judæi & Christiani aliquam in his vocibus differentiam ex Scripturæ usu quæsierint, ingenue tamen tandem confitetur R. *Aben Ezra*: *וער רעתי שני אחי נע*, i. e. idem prorsus significet. Geminatio itaque vocum idem significantium, ut & in aliis frequenter linguis fieri solet, vehementiam ejus innuit, quod voce exprimit, ut *vagus & vagus* idem sit, ac valde & maxime *vagus*.

§. XXIV. Ad v. 13. *Majus est peccatum meum pra ferendo.*) Non est facile quisquam in hoc capite verus, qui pluribus doctorum expositionibus, iisque omnibus singulari se probabilitate commendantibus, sit expositus. Easdem pro more suo summa diligentia collegit & suum de iisdem judicium pulcherrima crisi interposuit *D. Aug. Pfeifferus*, R. *Aben Ezra*, eundemque secutus *Ben Melech*, vocem *ען*, *pœnam*, h. l. sicut & *Genes. XV. 16. I. Sam. XXII. 10. Thren. IV. 6.* denotare existimat, quasi diceret Cain: major est pœna peccati mei, quam ut eandem possim perferre. De qua Rabbi: *וירח ער אמרת וידו הפירוש הפסוק הבא אחריו*, *Et docet vere banc expositionem versus, qui post hunc sequitur.* Quod ita verum esse videtur, ut illabatur illico in legentium oculos. Cur enim non possit perferre, hanc invictam, ut putat, rationem reddit, quia à Deo vi expellatur è terra, neq; ex Dei decreto immotam quietamq; sedem inveniat,

E

niat,

niat, itaque fieri aliter non possit, quin Cainum occidat, quisquis eundem repererit. Quinimo adversus hanc Caini querelam Deus eundem non argumento à peccati remissione petito, sed securitatis potius adversus mortem sibi metuendam promissione consolatur. Quæ Rabbinum sententiam non parum confirmant. Communior sententia est, quam & in interpretatione sua *Lutherus* noster expressit: *meine Sünden sind grösser/dañ daß sie mir können vergeben werden.* Quæ literæ se proprietate tuetur, à qua absque gravi ratione non est discedendum. Quæ præterea videtur convenire indoli Caini, qui ita ferociter superbeque peccatum suum defendit, ut nullum unquam dederit pœnitentiæ indicium. Quid itaque consequi aliud poterat, quam desperatio? Ut adeo jam olim Augustinus ex magnitudine peccati desperantem graviter increpuerit: *mentiris, Cain, major est Dei misericordia, quam omnium hominum miseria.* Notabile est, nonnullorum Judæorum expositionem, qui *בהשיח*, per admirationem verbajist hæc vertenda esse censent, hoc, quem *Raschi* exprimit, sensu: *אתה טוען והחטונני וענני אי משו לטון: עליוני והחטונני וענני אי משו לטון: Tu, ô Deus, quæ supra sunt, quæ infra sunt, portas & peccatum meum annon possibile erit te portare? D. Seb. Schmidium paulo ante vitæ suæ finem esse amplexum. Verba Exegetæ incomparabilis ex Annot. ipsius in Genesin integra repræsentabimus: hætenus (1.) *Cajinus nullum pœnitentiæ indicium dedit. Nunc demum indicia pœna temporalis extorquet (altem simulatam.* (2.) *In verbis ejus subaudimus interrogationem hoc modo: ergone majus est delictum meum, quam ut remittatur? Ita verba in sua proprietate manent. Verba (3.) deprecantis sunt potius, quam desperantis. Quid enim coram Deo**

de

de desperatione sua conquereretur, nisi deprecaretur, ne sibi desperandum esset? Nulla harum sententiarum est, quæ fidei lædat analogiam. Nulla, quæ rationibus prægnantibus non abundet. Nulla, quæ autores sententiæ suæ non habeat graves & eruditos.

§. XXV. Ad v. 14. *Ecce expellis me.*) Non intelligendum hoc tantum est de sententia in Cainum lata, sed & de ejusdem executione. An verò solo mandato, vel Dei vel Adami? Vix credideris, hominem tam ferocem & rebellem, solo mandato constrictum in exilium tam calamitosum exiturum fuisse. An reliquis fratribus suis, tanquam licitoribus & ministris usus est Deus? Nondum videntur vel numero vel potentia Caini familiam superasse. An forte Cherubinis, gladiis flammantibus instructis? Omnino crediderim, tale quid factum esse, non tantum, ut ejicerentur ad aliquod terrarum intervallum, ex quo redire ad patrias sedes iterum facile potuissent, sed in loca longe remotissima, superatis & fluviis & montibus plurimis, idque per eas ambages, ut cum præcipue eo adhuc tempore nihil terrarum extra locum ab Adamo occupatum habitatum fuisset, ne quidem conjectura aliqua assequi posset, qua via rediri ad patrem posset, quin si ingressus aliquam fuisset, in remotiorem semper ab eo locum ferretur. Quod in exilio Caino dictato miseræ ei innexæ summum quasi fastidium fuit. Eo enim factum est, ut simul à beneficiis Ecclesiæ Dei concessis, utpote Divina revelatione & confortio, quod antea ei cum Deo intercesserat, exclusus, in Cimmericas de Deo rebusque Divinis tenebras cum universa familia laboretur. Quanquam enim credi forte possit, non omnem statim cultum Divinum abrogavisse in familia sua Cainum, cum nonnunquam & im-

piiffimi homines, faltem ceremoniis externis delectentur & aliquem Dei cultum vel ad timorem suis incutiendum, eosque in officio continendos instituant, facile tamen conicere est, tam prophanum hominem, gratia præterea Divina & interiore ejus familiaritate destitutum, quicquid boni in externo etiam cultu primum apud ipsum superfuerat, paulatim introducta omnis generis superstitione, penitus aboleuisse, ut post unam alteramque annorum centuriam merus in familia ipsius Gentilismus, oblivioni datis veteris fidei reliquiis, ubique regnaret. Quæ inter pœnas, Caino immiffas, omnium atrociffima fuit. Hoc enim est: וּמִפְנֵי אִתְּךָ
à facie tua occultabor. Facies DEI origo est omnis in animo lætitiæ & in conscientia tranquillitatis. Faciem suam revelat, quando ut intra se in essentia personisque suis se habeat & quo pacto adversus genus humanum affectus sit, manifestat. Faciem suam lucere facit, quando Divinum favorem in hominem effundit & beneficiis eundem, cœlestibus pariter terrestribusque, mactat; unde in solenni benedictione nihil eminentius Diviniusque, quod homini exoptari posset & conferri, excogitari potuit, quam ut precaretur Ecclesiæ sacerdos: *illucescere faciat Dominus faciem suam ad te & attollat faciem suam ad te.* Num. VI, 24. 25. Est igitur occultari à facie Divina nihil amplius revelationis Divinæ immediatæ & temporis successu, nihil sacrosanctæ religionis, nihilque gratiæ Divinæ in hominis interiora ob malitiam ejus præfractam redundantis vel videre vel experiri. Et è contrario subinde magis magisque summa intellectus cœcitate percuti, nec quodcunque in animo suo adversus peccati infernique terrores sentire solatium. Verbo,
in

in statum redigi gentilium, spem nullam salutis habentium.

§. XXVI. Ad v. eund. *Omnis, qui invenerit me, occidet me.*) *Job. Lightfootus*, quia Cainus universa hac verborum serie nihil aliud, quam desperationem suam profiteri velit, hæc quoque verba ita convertit: *nunc itaq, sit ita, ut me, quicumq, invenerit, occidat.* Verum quomodo metuere mortem ab aliis poterat, si nulli fuerunt iis in locis, in quæ profugerat, gentiles? Ita Præadamitarum plures, qui & aliis ex historia Caini & Abelis pro fabula sua utitur argumentis. Verbi gratia. Fuit Cain agricola. Quid dicit agricolam, innumeros fere præsupponit artifices, sine quorum opera neque vomeres cudi, neque secures acui, neque alia id genus confici potuerunt. Abel fuit pastor ovium. Quare verò custodiebat illas Abelus, cum nec fures timere potuerit, si nulli tum alii fuerint homines & à lupis sibimetipsi magis, quam ovibus metuendum fuisset. A quibus latronibus Cainus acceperat enses, quo verteret sanguinem fratris sui Abelis? Respondetur, timere poterat, *Josepho* dicente, *feras, justitiæ Divinæ ultrices.* Poterat timere, ne paucis illis diebus, quibus spatium ipsi convasandi res suas concedebatur, antequam è patria terra exiret, totam Abelis familiam, propriosque ex Adamo fratres, indignitate cædis fraternæ in similem furorem actos. Poterat alibi terrarum vel post 300. annos ex suomet corpore nascituros fraternæ cædis ultores metuere: nec opus fuerat gentilibus, ad hanc vindictam armandis. Nec porro ex arandi instrumentis Præadamitæ jure colliguntur. Nam in ipso paradiso Adamus colere terram debebat. Ergone & hic vel aratrum vel rastrum vel furcam vel plaustrum à gentilibus accipere

E 3

debebat?

debebat? Quisquis arandi artem Adamum edocuit, is & Cainum, quibuscunque illa tum quidem exercita fuerit instrumentis. Quis Americanos ferri usu, antequam Hispani ad eos venissent, carentes, plurima conficere edocuit, quæ confecta ab ipsis sine ferri ope fuisse nunquam nisi sensu coacti credidissimus? Præterea ovium pastor Abel fuerat, ut provideret, ne aliarum familiarum oves cum suis ovibus confunderentur, ut ordine depascerent agros, ne, si sine ordine vagarentur, aliæ fatiarentur, aliæ laborarent defectu, denique ut eosdem à feris defenderet. Nec enim & hodie cessant oves suas à ferarum rabie tueri pastores, quia nonnunquam feræ in ipsos pastores insurgunt. Boni enim pastoris est, non fugere lupum, sed animam suam pro ovibus ponere, Joh. X. v. 12. Quod de gladio objicitur, iudice *R. Aben Esra* שאלות ותשובות, *manus & puerilis questio est.* Paraphrastes Chaldæus *Jonathan* Cainum lapide necasse Abelem putat. Quem sequitur *R. Elieser. Irenæus* falcem, *Prudentius* sarculum nominat. Pictores manum Caini mandibula armant. Ebræi nonnulli, teste *Alphonf. Tostato*, Cainum Abelem dentium moribus dilaniasse tradunt. E Christianis nonnulli furca, sive ea lignea fuerit sive ferrea, quamque secum de more sine suspitione tulerit, animam eidem extrusisse putant. Quidni & Cain tanquam agricola & labori adfuetus, iudice *Celeberr. Wagenfeilio*, manurobustus fuerit, atque sic Abeli, minus viribus polenti, quiq; ideo gregibus pascendis se dederat, fauces præcludere potuit? Deniq; potuit hoc facere, ait *Aben Esra*, manus sua strangulando, ad hæc mille ligna & lapides in mundo erant.

§. XXVII. Ad v. 15. Et dixit ipsi Dominus.) Notant exegetæ summo Caini timori & quasi desperationi duo

duo opponere DEUM argumenta, primò pœnam ei dictatam longe dirissimam, qua vel sola deterreri ab e-
jus cæde etiam nefarii nequissimiqve qvivi potuerunt. Quo enim efficacius remedio à sceleribus & hodie revo-
cantur, quam atrocitate pœnæ, ipsis dictatæ? Ne-
que excipi potest, qui in malitia occalluerunt, æque non
revereri pœnalia, quæ vocant, mandata, ac reformida-
re pœnas, vel ipsa atrocitate atrociores, exemplo *Cle-
mentis Monachi, Ravalliaci*, aliorumqve. Nam primò
ob ejusmodi hominum monstra alterum quoque vitæ suæ
præsidium addit, de quo deinde dicitur. Deinde etiam
ii, qui facinora humana malitia majora perpetrant, in-
pertinacissimo tamen suo proposito elabendi aliquam
rimam occasionemque sperant. At tale quid exspectare,
qui Cainum occisurus esset, nullo modo poterat. Quan-
tacunqve enim quamque clancularia fraude rem aggre-
deretur, DEI tamen oculis absconditum id æque non fo-
re persuasus erit, ac occultari ab oculis ipsius non potuit
Caini facinus, qui tam clam factum suum esse putabat,
ut ne DEUS quidem illud rescisceret: *nescio*, inquit, *ubi*
frater meus sit, donec custos sum constitutus fratris mei? Qvis igitur
mortalium, qui tum hujus Divini judicii inspectores
fuerunt, DEUMque ipsum immediatum scelerum judi-
cem hoc ipso in exemplo oculis suis viderunt, audive-
runtque auribus, si quis manum inferre Caino posthac
fuerit ausus, se pœnas ab ipso sua quasi manu sumpturum
esse, quis, inquam, tale flagitium designare non exhor-
relceret? Perstat igitur invicta virtus primo DEI argu-
mento. Septies autem vindicari est septuplo majorem,
quam ipse Cain fraticidio promeruerat, facinoris sui pœ-
nam sustinere. Septenarius numerus multitudinem
notat,

notat, ceu non sine ratione asserit Judæus à *Fagio* adductus: דרך המקרא לזכור שמי ושבעה לחסכון רב לפי שקראו *mos Scriptura est, septenarium numerum pro multo usurpare, eò quod omnes dies seculi in hebdomades distribuuntur.* Quæris, qui salva justitia Divina fieri potuerit, ut, qui Cainum occideret, graviori pœna, quam ipse Cain plecteretur? In cujus tamen delicto tanta summæ malitiæ momenta concurrunt, qualia vix in alio cogitari possunt? Male sacrificavit. Fratri suo invidit. DEI admonitionem contempsit. Per fraudem & dolum fratri locutus est. Crudeliter eum interemit. Procaciter cædem ejus DEO negavit. Denique sceleris admissi veniam desperando seipsum damnavit. Fuscè ea de re cum fociennis suis, *Paulo Burgensi, Lyra, Tostato, Caribufiano & Ruperto* disputat *Ben. Pererius.* Videtur hic locum habere diverbium: crescentibus delictis exasperantur pœnæ. Primum commiserat homicidium Cainus. Animadvertenter in illud gravissimis ex causis DEUS sola, ex Ecclesia & rep. paterna exclusione. Prohibuerat severissimo edicto, ne quis capitis in illum pœnam exerceret. Si quis non obstantibus his cunctis Cainum tamen violenta manu aggressus obruncasset, cum cætera momenta omnia paria fuissent, contemptus tamen Divini iudicis, voluntatem suam & mandatum in conspectu omnium severissima voce promulgantis, infinitò major foret, cum tale quid fratricidium Caini haud antecesserit. Quid igitur mirum est, crescente malitia pœnas adaugeri? Alterum à signo seu miraculo desumptum est, Caino sine dubio in publica totius cœtus humani convocatione posito. Judæi circa nomen *קין* supersticiosi, unam ejus litteram fronti Caini impressam esse garriunt. Ejus enim tan-

tan-

tantam esse virtutem putant, ut ejusmodi hominem ag-
gredi ne quidem in mentem cuiquam potuerit venire.
Raschi: אורז משמו במצחו תקק לו אורז *in*sculpsit ipsi literam
de nomine suo, in fronte sua. Apud *Aben Esram* nonnulli
existimant, signum hoc fuisse fortitudinem datam in cor
ipsum & remotionem metus ab ipso. Inter Christianos
plurimi per signum hoc omnium membrorum, præci-
pue capitis tremorem perpetuum vel furiatam etiam
mentem intelligunt. Cui tremori *R. Sal. Jarchi* ipsum
quoque terræ tremorem superaddit: כל מקום שהולך
היתהו חארץ מזדעזעת תחתיו והבריות אומרים סרו
מעליו והו שהרג את אחיו: *omnis locus, ubi ambulabat Cain*
fuerat terra tremens sub ipso & creatura dicebant: recedite ab
ipso, iste est, qui occidit fratrem suum. Autor catenæ Arabicæ
apud *Joannem Gregorium* in tractatibus Bibliis Criticis
subjunctis ex manuscripto archivi Bodlejani membra Cai-
ni ita condensata obfirmataque fuisse pronunciat, ut ne-
que gladius potuerit penetrare, neque ignis urere, nec
aqua mergere, nec aër lædere, nec fulmen aut fulgur
percutere. In *Bereschith Rabba* suspenditur Cain in
aëre, usque dum diluvio absorberetur. Quod ita stoli-
dum est, ut ne quidem intelligi possit. Apud *Gerbardum*
à nonnullis hoc signum in iis ponitur, qui eundem ne-
caturi essent, quibus tremor injectus fuerit, ut solo Caini
adventu fugam capefferent. *Bened. Pererius* tale signum
in Caino politum existimat, ut ex eo agnitum omnes a-
nimadverterent & abominarentur, atque maledictis di-
risque insectarentur. Sed ita allekti potius homines ad
eidem nocendum, quam à cæde, quæ tamen intentio
DEI fuerat, absterriti fuissent. Ne de aliorum sententiis
quidquam dicamus, qui vel canem additum Caino, vel

pretiosiori veste ab aliis discretum, quæ & Jo. Clerici sententia est, vel truculentum ac torvum Caini vultum, quo omnes à se deterruerit, vel cornu ex fronte eidem enatum, vel stigma eidem inustum existimant, mihi certe veriore sententiam ita comprobasse videtur Celeb. Pfeifferus, ut mirer omnino, ne quidem tactam à Clerico vel uno verbo fuisse. Pro fundamento nempe ponit, non dici in sacro textu: *posuit Deus signum* בקין, *in Caino*, sed לקין, *Caino*. Non infixisse DEUM stigma quoddam in corpus Caini, ut per id ab aliis dignosceretur, sed ipsi Caino in præsentia totius necessitudinis miraculum exhibuisse, quo persuaderetur, nunquam permissurum esse DEUM, ut à quoquam ob fratris cædem vim posthac pateretur. Quemadmodum id genus miraculis & postea dubitantium animos erexit & confirmavit. Ita cessant omnes de signo corpori impresso conjecturæ, quibus tamen multi ita curiose indulgent, ut nisi illud fuerint expiscati, de re ipsa propemodum ambigerent. Prævit Pfeifferum, iudice Fagio, R. Aben Esra, qui ait: והנכון בעיני: שהשו עשרו לו אורו עד שהאמין והכתו לו גורו: *rectum est in oculis meis, quod Deus fecerit ipsi* (non in ipso) *signum, usq. dum crederet. Quamquam Scriptura non revelet signum.* Neque me ab hac sententia dimovet Disputatio Lipsiensis de signo Caini, autore M. Jo. Christoph. Ortobio ante triennium habita, de cætero singularem plane eruditionem & incredibilem diligentiam spirans, qui dum cum Theodoro ipsam Dei sententiam, quæ prohibebat Cainum occidi, in signum securitatis latam esse contendit, à litera magis, quam Pfeifferus, vocabulo אורו, *signum*, זות, *hoc*, addendo, eidemque vocabulo ל ut sit לאורו, *in signum*, præfigendo, recedit.

Ubi

Ubi vero *Pfeifferi* sententia à litera deflectat, quam ubique pressissime exprimit, ego quidem perspicere nullo modo possum. Nec enim literam deferit, vocem *חַוּת*, *signum*, de miraculo exponendo, quod & alibi significat, Exod. X. 1. 2. cum miraculum sub signo, tanquam species sub genere comprehendatur, atque adeo signum de miraculo propriissime & literaliter enuncietur. Neque etiam perveracitatis & stupiditati Caini repugnat, promissioni Divinæ non acquiescere, sed signo etiam exteriori, quale miraculum est, majorem vitæ suæ securitatem quærere; nec immensæ etiam Dei bonitati, quæ in reliquis etiam tam admirabilis & superabundans in Cainum fuit, ut rationem omnem excedat. Denique literalis sensus non exiguum indicium est primus, qui verba legentis animo citra ullum artificium illabatur, sensus. Jam verò quisquis verba: *Et dixit ei Deus, quapropter omnis occidens Cainum septies vindicabitur Et posuit Deus Caino signum, ne percuteres ipsum, quisquis eundem invenerit, sine præjudicio legerit, aliud quoddam signum, priori promissioni additum, apprehendet, nec sine animi præoccupatione ipsam promissionem intelliget. Quæ verò opinioni Pfeiffersiana apud Simeonem de Muys in Variis Sacris à Mose Maimonide & in Jo. Gregorii Notis à R. Mosi Gerundensi obijciuntur, ab ipso Pfeiffero protrita sunt.*

§. XXVIII. Ad v. eund. *Ne quis eundem occideret.*) Non equidem parum gravis hic exoritur quæstio, quæ fieri potuerit, ut Deus non homicidæ tantum vitæ pepercerit, sed nec alii cuiquam, ut tantæ cædis vindictam etiam sanguinis jure ab ipso requireret, permiserit, cum novo post diluvium mundo exoriente diserte præceperit: *qui sanguinem hominis fuderit, per hominem sanguis ejus*

iterum effundetur, quia in imagine Dei factus est homo, Genes. IX. 6. Sunt hodie, quanquam pauciores, qui præceptum illud, Noachidis datum, positivum fuisse existimant, quodque adeo Christianos in N. T. Magistratus non obligaverit. Quinimo, quicquid de pœnarum suppliciorumque in V. T. etiam moralibus legibus adjectum fuit, Judaicum tantum populum attinuisse disputant, in Christianorum verò libertate in solidum esse relictum, quo supplicii genere in graviora delicta animadvertere velint. Tendit huc Disputatio Halensis, quæ inscribitur: *De Jure Principis, pœnas lege Divina determinatas, mitigandæ vel remittendæ.* Cujus sententiæ summa hæc est, competere Principi facultatem, civem facinorosum coercendi, ut vel delinquere in posterum dediscat, vel hujus exemplo alii à delictis absterreantur. Quemadmodum autem reip. intersit, delicta non manere impunita: ita aliquando majorem salutis rationem suadere, ut facinoroso pœna vel temperetur, vel plane remittatur, ut adeo generaliter concludere liceat, quoties reip. salus efflagitat, toties Principi competere jus, imo Principem esse obligatum, ut atrocissime etiam delinquenti pœnam remittat. Nec alia puto ratione sententiam hanc proponit Celeberr. Theologus D. Philip. Ludov. Hannenianus, Disputatione de Jure Gratia, seu pœnæ capitalis, claris legibus fonti dictatæ, apud Christianum Magistratum licita remissione & quæ hanc solet præcedere aut comitari, de piorum Ministrorum, præprimis verbi, pro fontibus decenti intercessione; ubi: *habent Principes jus puniendæ ex autoritate Divinitus delegatæ; habent & jus pœnam remittendæ ex eadem, quod jus est Majestati, nec ex alio fundamento arcessi est necessarium.* Qui
 juo

ius Majestatis habent in terris, tutamen legum vindictamq;
tenent. Et pro re nata, nisi summus legislator strictè pœnam de-
mandavit, ut in Levitismo Judeorum, pœnam relaxat, aut
prorsus remittit. Christiani Magistratus non est restricta ad
certam pœnam & necessariam auctoritas, ideo jus aggravandi
plenum possidet secundum statum liberum N. T. non qv̄i liber-
tate gaudeat impunita facere scelera, sed qv̄a fideli prudentia
disciplinam custodiamq; Divinarum humanarumq; legum gubero-
net. Communior tamen inter Theologos hæc tenet Eccle-
siæ nostræ doctrina fuisse videtur, quæ, ubi Divina constitu-
tione capitalis pœna in facinorosos, adjectis præcipue
immutabilis obligationis rationibus, sancita à Deo est,
Principi libertatem eandem vel mitigandi vel remittendi
nequaquam relinqui. Quod in homicidio præprimis,
temerario scil. & doloso, (nam de hoc solo quæstio est)
ita obtinere debeat, ut Christianus Princeps in Nov. T.
homicidæ, si postea serio pœniteat, atque Ministri ver-
bi penes Principem intercedant, gratiam delicti facere ac
pœnam capitalem remittere non possit. Quod adeo ipsi
naturæ impressum sit, ut & fratricida Cainus ex accusan-
tis conscientia dictamine agnoverit: fiet, inquiens, ut
quisquis me invenerit, occidat. Rationem præterea, Di-
vinæ post diluvium legi adjectam: quia in imagine DEI
fecit Deus hominem, perpetuam hujus mandati observan-
tiam adeo manifeste arguere, ut robur omne amitterent,
si verba non mandati essent, sed prædictionis tantum &
comminationis. Quare & in N. T. hunc pœnæ rigo-
rem repeti, Matth. XXVI. 52. Rom. XIII. 4. Apoc. XIII.
10. Denique homicidium ex eorum flagitiorum numero
esse, quæ ad cælum clament, dicente in historia nostra
Deo; vox sanguinum fratris tui clamat ad me. Vim ho-
F 3
rum

rum argumentorum preffius repræsentavit Disputatione de jure Principis Christiani aggratiandi circa homicidium negato Celeb. *D. Adam Rechenbergius*. Nobis hoc loco id tantum considerandum est, an dispensaverit Deus & quomodo id fieri potuerit in lege, non Noachidis tantum lata, sed ipsi etiam naturæ quodammodo impressa? Quidque commoverit Deum, ut capitalem non tantum homicidii simplicis, sed fratricidii, ejusque post præviam Dei severamque admonitionem, animo deliberato & prorsus truculento commissi, pœnam in exilium commutaret? Equidem vehementer solliciti sunt Ecclesiæ nostræ Doctores, ut sufficientes ejus rei adducant rationes. Quæ à *D. Calovio*, magnorum equidem meritorum in Ecclesia nostra Theologo, Comment. in Genesin, studiose adducuntur, quam vim habeant, tibi, Lector, dijudicandum relinquo. Ait, testatum Deum fuisse longanimitatem suam, quæ primum homicidam & sceleratissimum hominem invitaret ad pœnitentiam, ut nemo peccatorum desperaret veniam. Sed nec hodie præclusa est homicidis pœnitentiæ via, si vel maxime, interposito aliquo temporis interstitio, rapiuntur ad mortem. Et quidni eandem longanimitatem suæ remissioni & hodie prætereundum possint Principes? Ait porro, gratiam suam in Caini posteros declarare Deum voluisse, ut liberi non insistentes impiis parentum vestigiis de Divina misericordia bene sperare habeant. Quippe electos etiam è Caini posteritate nonnullos fuisse, propter quos ipse in vita fuerit servatus. Sed cogitandum erat, annon Principem & hæc ratio ad aggratiandum commovere possit? Et si hæc pondus habeat ratio, annon omni delinquenti perpetratorum venia

nia

nia sit impertienda? Ait tandem, in aliorum terrorem id factum esse, quibus vagus & profugus ille fratricida, à facie DEI expulsus, ante oculos passim obversatus sit. Et vere grandis hæc est ratio. Nam & hodie pœnæ quædam ipsa morte longe sunt atrociores, utpote condemnatio ad triremes, ad perpetuos squalores, oculorum effusio, similesque, quas vel natura ipsa morte qualibet pejus horret & extimescit. Quare eleganter Philo Judæus libro de præmiis: *Cain fratricida primus terram puram hominis cruore imbuit. Quas igitur pœnas dignas luere potuit? Respondet forsitan aliquis, si capitali plecteretur supplicio. Verum ista hominum est cogitatio, magnum illud tribunal non respiciens. Homines enim ultimum supplicium mortem existimant; at hec in Divino judicio vix est pœnarum initium. Quoniam igitur novum erat facinus, oportebat novam pœnam in id statui & quam tandem? Ut semper moribundus viveret, damnatus morte infinita quodammodo. Alii respondendum existimant, DEUM tanquam supremum omnium legislatorem, Dominumque vitæ & necis, pro liberrimo jure suo pœnam capitalem ex causis sapientissimis prorogasse ac distulisse, donec à Lamecho supplicium à Caino fumeretur. Quod verò summis Imperantibus, qui à Dei nutu & legibus dependent, non æq̄ competat. Quo pacto verò lex de occidendo sub capitali pœna homicida non naturalis & immutabilis fuerit, sed tantum lex, quam vocant, moralis positiva, quæ à DEO quidem possit, non verò ab homine mutari. Ne quid dicam de Lamecho, de quo postea differendi erit occasio. Quicquid etiam sit de aliis rationibus, quas Judæi nonnunquam confingunt, utpote quod Cain sacrificio placaverit DEUM, quodque carnifex tum temporis nullus fuerit, qui capite eundem*

trun-

truncare potuerit, nobis sufficet id, quod paulo superius omnes superare mortes professi sumus, relegatio nempe non ex patria tantum, sed & Ecclesia, non in exilium tantum, sed & in incertam vagamque vivendi rationem, cum perpetuis conscientiae furiis & carnificinis conjuncta.

§. XXIX. Adv. 16. *Exiit à facie Domini.*) Notat *Ben Melech*, particulam מלפני opposita videri complecti, q. d. à in facie Domini. *A*, enim à facie Domini eundem removet, *in*, verò ad faciem Domini sistit. Nimirum indigitatur, exiisse Cainum longe ab eo loco, ubi hactenus fuerat in facie Domini. Faciem verò Domini non Christiani tantum, sed Judæorum etiam interpretes recte exponunt de loco Ecclesiae, quam his verbis describit idem *Ben Melech*: שהיתה מקום קבול השכינה ומקום הנכבדות כי באותו מקום היה מרבר רוח הקדש עם אדם ואתו ועם בנייהם ואחרים כן: *qui fuit locus acceptionis Majestatis Divinae*, h. e. Ecclesia, in qua Majestatem suam apparendo colloquendoque frequenter manifestavit DEUS & ab Adamigenis cum reverentia & devotione recipiebatur, *Et locus Prophetia, in quo locutus fuit Spiritus Sanctus cum Adamo & uxore ipsius & filiis, imò cum tota posteritate*, h. e. in quo vigeat Propheticum & Ecclesiasticum ministerium, Spiritu Sancto agitatum. Ita vocibus sui temporis Vet. T. Ecclesiam Judæi non inepte describunt. Diximusque jam superius summum quasi Cainiticarum pœnarum fastigium in eo constitisse, quod à facie Divina, in Ecclesia sua relucente, ibidemque omne beneficiorum Divinorum genus ad æternam hominis salutem dispensante, fuerit rejectus. Cum dicitur: *Et exiit*, observat *Raschi*, exeundi vocem expellendi verbo, supra usurpato, opponi, & hoc dicere velle Mosen, non coacte

coacte, sed sponte ad solum mandatum Divinum exiisse è sedibus paternis Cainum. Verba Rabbinum sunt: יצא כגונב רעה העליונה; *exiit in humilitate, quasi qui furaretur scientiam altissimi.* Quorum verborum sensus citra dubium hic est, quod Cain simulaverit summam erga DEUM humilitatem, quodque pœnam sibi impositam, ad mitigandam iram Divinam promptissimo obsequentissimoque animo, ceu par esset, subire vellet, cum interea intra animum suum perfidus nequam perpetuò manserit, adeoque, quantum in se erat, Divinæ omniscientiæ oculos fascinare voluerit, ac si DEUS in interiora cordis sui non introspicere, nec scœdam ejus hypocrisin animadvertere potuerit. Ita quidem *Rasibi*, sed nos superius majori, ut putamus, probabilitate, vi eundem è paterna familia extrusum esse, affirmavimus.

§. XXX. Ad v. eund. *In terra Nod.*) Locus nempe, ab eventu ita nominatus, quia cum fugeret Cain à facie Divina, primum in eundem devenerit. Nam quod *R. Nachmanides* apud *Fagium* vertendum esse censet: *habitavit in terra mobilis*, id meritò à *Fagio* rejicitur, cum locus *Nod* illico à situ suo describatur: קדמתי ערן, *versus orientalem plagam Eden.* *R. Ben Melech* ex *Radak* refert, eundem existimasse, eousque vagabundum fuisse Cainum: עד שישב לו ממזרח ערן רחוק מהמקום *quousq; confederis in oriente Eden, procul à loco illo, in quo fuerant pater ipse materque.* Nec in epte. Perquam enim credibile est, exilii & paupertatis, infinitarumque calamitatum, illud concomitantium, tœdio commotum Cainum subinde viam modumque in patriam revertendi anxie quæsisse, donec spe omni

G

abje-

abjecta, ex oriente horti Edenis procul à parentibus confederit, urbem à nomine filii sui ædificans. Coniicit inde *Raschi*, loca isthæc oberrationis Cainiticæ eas ipsas esse regiones, quæ & postea prædatoribus latronibusque celebratæ fuerunt, in quibus ideo tres civitates, tanquam asyla pro iis, qui casu alios interfecissent, ne publicis prædonibus, omnium libidini expositi, pares haberentur, constituisse DEUS legitur, Deut. IV. 41. Nam & hæ urbes ad orientem sitæ hoc ipso in loco dicuntur. Sed cum universa Cainitarum progenies in diluvio perierit, quomodo iis ipsis in locis latrocinandi arti exemplo Caini adsueti denuo confidere potuerunt? *R. Abendana* regionem hanc Indiam fuisse suspicatur, quia inter literas vocis: נור, *profugus*, & הורו, *India*, aliqua reperiatur cognatio, quæ major equidem foret, si hodierna Indiarum pronuntiatio cum voce נור compararetur. Tum enim apposita tantum in fronte litera nominis formativa נ & interpositis ex נור duabus literis נ & ר, denique terminatione scæminina י & ה vox India commodissime perfectissimeque exsurgeret.

§. XXXI. Adv. 17. *Juxta nomen filii sui Chanoch.*) *D. Seb. Schmidius*: ad constituendam filio suo hereditatem, *Raschi*: ויקרא שם העיר לזכר בנו חנוך & vocavit nomen urbis in memoriam filii sui Chanoch. Solemus enim primogenitos, tanquam primæ virtutis roborisque nostræ hæredes, Genes. XLIX. 3. nostrosque sive in regno, sive in bonis successores, majore, quam cæteros, affectu complecti & mactare honore.

§. XXXII. Adv. eund. *Et ædificavit urbem.*) Pro more suo mira hic & hætenus inaudita somniant Observatores Halenses, Tomo. I. Obs. XIX de scholis antediluvii.

luvianis §. 16. seqq. Ajunt, in familia Adami viguisse cultum Dei longe simplicissimum, eundemque in posteros non propagatum ullis concionibus, neque scholis etiam fuisse opus ob doctrinae simplicitatem & brevitatem, sed omnia ista partim inter medios labores quotidianos & domesticos ipso usu ostendi & doceri potuisse, partim in quiete quotidiana à laboribus sat temporis superfuisse amico colloquio & discendi & docendi absque observatione certæ horæ, absque dictatis, absq; Catechismo & verborum certorum commemoratione. Ceterum nondum præcipisse eo tempore Deum, ut externo cultus signo unus homo ab altero distingueretur. Nondum circumcisionem, nondum sabbatum, (quanquam hoc jam in paradiso fuerit institutum & lanioe sententia ipsi Judæi agnoscant, dum à facie Dei Cain extrusus est, exulasse à manifestatione Divinæ majestatis, à Prophetia & Spiritu Sancto) nondum sacrificia (quanquam diserte narretur, utrumque Adami primogenitum sacrificia Deo obtulisse) & oblationes & ferias præceptas, quod demum à Mose factum sit. Cultum Dei simplicissimum videri fuisse patientiam in laboribus & pœnis lapsus & fiduciam in Deum tanquam in creatorem & cum querentium remuneratorem & exinde promanantem vitam innocentem & beneficam. Hanc esse illam fidem, ob quam oblatio Abelis gratior fuerit Deo, hæc esse opera Abelis, ob quæ Cain eum interemerit. Nihil scilicet in hac prima religionis simplicitate hominibus cum Christo negotii erat, in cujus tamen solius nomine omnem hominis salutem consistere, nec extra eundem ullam beatitudinem homini contingere posse Petrus enunciavit Act IV. 12. X. 43. Porro in ista simplicitate, ad quam & hodiernam religionem nostram universam reformandam, proculque ex ea relegandum esse decernunt Observatores, quicquid scholas, quicquid informationem

ordinatam vel ad horas, vel ad formam, vel ad symbola, vel ad Catecheses, vel ad Compendia, aut ad simile quid adstrictam sapiat, nullo alio cultu animi, nullis studiis, nullo defensore, adeoque nec ulla republ. opus fuisse. Primum omnium hanc simplicitatem vitæ & religionis displicuisse Caino, homini voluptatibus, ambitioni & avaritiæ maxime dedito. Unde tradita patris de statu integro, ejusque perfectione, de lapsu, ejusque pœnis, immersum desideris cordis sui haud dubie pro fabulis habuisse, homines ab actionibus gloriosis ad vitam ingloriam ducentibus. Hinc viribus ingenij abutentem & à simplicitate paterna secedentem civitatem condidisse, leges promulgavisse, artes invenisse, vitam hominis magis commodam, amœnam & delectabilem reddentes. Civitate condita & scholis opus fuisse publicis, partim ut à teneris annis homines disicerent à præjudicio auctoritatis pendere (cum antea in amplectendis de religione sententiis, neminem mortalium reveriti, summa sentiendi credendiq; libertate fuissent gavisi) & ita cæca obedientia iussa imperantium venerari; partim ut persuasione perpetua, quod homo lapsus sit præstantissima creaturarum, quodque cultura intellectus & novarum artium ac scientiarum ad summam felicitatem progredi possit, (quæ nempe omnia falsissima sint) separarentur ejus subditi à vera Ecclesia, (illa nempe simplici, neque ullius religionis, ad certos credendi articulos formasque adstrictæ, indiga) & sic totum genus humanum ad sapientiam terrenam, humanam & demoniacam, à sapientia cœlesti, casta illa, misericordi, simplici, sine furo & Sectis, (uno verbo: Indifferentistica, quippe quæ sola est sine Sectis) traduceretur. Id quod & eventus docuerit, tempore Noachi omnibus Adami posteris ad Cainiticam Sectam translatis, alliciente eos etiam cultu illo Divino splendido, à Cainitis

excogitato, (de quo tamen ne gry quidem ullibi, five in prophanis, five in sacris scriptoribus legitur) *Et Musica Jubalica exornato*, (qua de re legisse se non ita pridem Observatores testantur, sed autoris tamen recordari non posse, quod etiam Judæi Musicam Jubalis de applicatione Musicæ ad cultum Divinum soleant exponere. Ego verò putaverim potius, Jubalis Musicos fuisse illud Musicorum genus, quod hodie appellare solemus *die Ströh-Sidler/Musickstümper/Braten-Geiger/Leyrer und Sack-Pfeiffer* / quod in ganeis & rusticorum computationibus eosdem ad tripudia, boatus, saltationes excitare solet, è contra verò Musicam severiorem & ad animi devotionem inflammantem, institutum esse Davidis, viri secundum cor Dei, adeoq; Divino præcepto nitentis, Ps. CL. per tot.) *in quo adeo baud dubie & multe ad populum conciones pro confirmanda idololatria fuerint habitæ.* Credo etiam inter urbem à Caino exstructam & pagos nostros hodiernos nihil aliud discriminis intercessisse, quam quod illa vel muro vel sepimento ex ligno fuerit cincta. In qua non alia curiæ & Senatus magnificentia, non alius scholarum Ecclesiarumq; splendor, non alia civilis majestatis pompa, quam in urbeculis nostris rusticis hodiernis, conspicietur. Ut somnio mihi simile videatur, in Cainitica illa & stercorea urbe, (ut omnium rerum initia sunt tenuia) scholas, artifices, sophismata politica, delicias urbanas & alia id genus comminisci. Quid interim de tota illa observatorum structura aliud dixeris, quam quod iidem Observatores contra illos, qui Adami Sethiqve tempore aliquas floruisse scientias & artificia prætendunt, declamant: §. 7. *omnes fere linea ostendunt, quod iste doctrina sententiam suam non ex verbis Scriptura, secundum re-*

gulas bonæ interpretationis deducant, sed plane aduersus omnes bonæ interpretationis regulas, sensum verbis inferant, aut etiam deficiente plane Scriptura, ex solo præiudicio, de vanitate & inutilitate scholarum & de simplicitate religionis, in sola patientia in laboribus & fiducia in Deum, tanquam in creatorem, consistentis, nescio sub quo pretextu ac quo iure fingendi aliquid, de quo Scriptura tacet, defectum aliquem imaginarium Scripturæ suppleant. Ut adeo ulteriori refutatione ac specialiori demonstratione erroneæ hujus opinionis, omni fundamento & rationis & Scripturæ destituta, vix videatur esse opus.

§. XXXIII. Ad v. 18. *Cbanoch. Irad. Mechujæel. Metuschaël.*) Nihil de his amplius invenitur in sacris. Quare complendæ tantum Genealogiæ causâ adferuntur. Quæ ex originatione horum nominum de fatiis ejus temporis conjectat *D. Galovius*, conjecturæ sunt, quin falsus haud fuerit, qui dixerit, infra conjecturarum dignitatem subsidere.

§. XXXIV. Ad v. 19. *Et accepit sibi.*) *Raschi*, quo autore, ipsemet non indigitat, tradit, moris tum fuisse, ut quis duas duceret uxores; unam ad voluptatem, quam sterilitatis poculo inebriatam, quò minus liberos parere posset & de formæ elegantia quidquam deperdere, ineptam reddiderit. Hanc & ciborum delictis & quocunque alio placendi genere, ut sibi promptam paratamque haberet, demeruisse. Alteram ad generationem, ut per eandem genus suum multiplicaret, quæ, quia perpetuis circa liberos laboribus occupata, de formæ venustate subinde detraxerit quidpiam, grata in ipsius oculis haud fuerit, sed contempta. Nec quidem ullum tam fœdi moris indicium in omni antiquitate.

com.

comparat. Quidni igitur fabula sit & commentum ovi-
 osorum Judæorum? Nihil aliud hic dicitur, quam duas
 Lamechum habuisse uxores. An primus duas duxerit
 & annon alii eo tempore tres quatuorve in matrimonium
 assumpserint, nec asseritur diserte in textu, nec negatur.
 Vulgò primus polygamus à plerisque omnibus habetur
 Lamech. Sed dispicias, rogo, utrum vel in textu ejus rei
 vel in historia solidum fundamentum, sine quo indu-
 bitato affirmandum nihil est, compareat? Dubitat quoque
Jo. Clericus, rationem primitus introductæ à Lamecho
 polygamias hic sufficientem contineri. Non nego
 interea, jam à vetustis Ecclesiæ doctoribus varias,
 easque non parum probabiles, adductas fuisse rationes,
 quod Lamech & primus polygamus fuerit & polygamia
 sua grande peccatum commiserit. Congessit eorum dicta
 summo studio *Nat. Alexander* in H. E. V. T. *Tertullianus*
 igitur libro de Monogamia: *semel tantum vim passa in-*
stituio Dei per Lamech, constitit postea in finem gentis illius.
Secundus Lamech nullus exiit, quomodo duabus maritatus?
Negat Scriptura, quod non notat. Hieronymus libro I. con-
 tra Jovinianum: *primus Lamech sanguinarius & homicida*
unam carnem in duas divisit uxores; fratricidium & dyavaiam
eadem cataclysmi delevit pena. De altero septies, de alte-
ro septuagies septies vindicatum est. Quantum distant
in numero, tantum & in crimine. Gravius itaque peccasse
 Lamechum bigamia pronunciat, quam Cainum fratri-
 cidio. Nata hinc fuit apud antiquos pariter ac recenti-
 ores quæstio; quî tanto crimini Lamecho detur, duabus
 uxoribus sociari, cum post diluvium Patriarchæ, san-
 ctissimi Deoque carissimi viri, pluribus uxoribus liber-
 rime fuerint usi? Qua in re sententiarum divortia recen-
 fere

fere nimis longum foret. Nonnulli contra institutum antiquum, non contra morem præsentem aut legem quampiam particularem peccasse illos affirmant. Ita *Augustinus*. Alii non ardore aliquò vagæ succensos libidinis, non petulantis formæ captos decore, sed studio quærendæ posteritatis & propagandæ sobolis pluribus cohabitasse ajunt. Ita *Ambrosius*. Quidam tum hoc licuisse pronunciant, quando nondum repleto mundo humanum genus propagari debebat, non item diffusa per universum orbem hominum multitudine. Ita *Cbrysolomus*. Alii iis tantum concessam fuisse plures uxores ducendi licentiam asserunt, quibus fuerit Divina revelatione concessum: per quam sicut Jacob à mendacio, Israelitæ à furto, Samson ab homicidio: sic & Patriarchæ & alii viri justi, qui plures simul leguntur habuisse uxores, ab adulterio excusari. Ita *Innocentius III.* Nec minus dissentiunt recentiores, *D. Danthawerus* in Theologia conscientiarum: *Patrum sanctorum polygamiam excusat perfectioris in lege intelligentiæ defectus & Zelus accelerandæ natiuitatis Messianæ.* *D. Gerhardus* de Conjugio: *Patriarchæ non ex inspiratione vel dispensatione Divina, sed ex prava temporum illorum consuetudine, posteritatis latius propagandæ desiderio à lege primæva secesserunt, ac natus ille in ipsis à Deo toleratus ac pœnitentiam agentibus remissus est.* *D. Frid. Utr. Galixtus* de Conjugio & divortio: *polygamiam usque ad Messie adventum Deus in populo sibi proprio toleravit & tolerando tacite veluti probavit.* Non videntur hæ rationes omnem tollere difficultatem; quare tutius rectiusque incedunt, quæ vera realique dispensatione, quanquam ea scripto comprehensa non sit, veteres patres pluribus cohabitasse uxoribus affirmant. Ita *Hulfemannus, Lyserus, Calovius, Scherzerus &* plurimi alii. §. XXXV.

§. XXXV. Ad v. eund. *Una Ada, altera Zilla.*) Adam dictam fuisse quasi *remotam* à viro, cum qua extra unum alterumque congressum, generandorum liberos causa institutum, nihil Lamecho fuerit negotii: Zillam verò tanquam sub umbra viri omnibus deliciis gaudentem, tradit *R. Sal. Jarchi.* De qua inutili solertia recte *Aben Ezra:* אל תשים לבך לשמור אל רברו הגאון בשמורה כי אלו היינו יודעיו כל לשון הקדש מאין נוכח לדעת כל הקורות כטע משנה ויששכר; *tu ne animum tuum adverte ad verba Excellentis illius viri quo ad nomina ista, quia si vellemus scire omnem loquendi in Scriptura rationem, unde poterimus omnem Scripturarum sensum expiscari, sicut scimus de Mose & de Isaschar.* Hoc nempe vult, nisi Scriptura ipsa explicatione sua præeat, nominum priorum originem Grammaticam, impositionis causam & totius rei historiam necessariò nos latere. Quod exemplo vocis Isaschar & Mosis confirmat.

§. XXXVI. Ad v. 20. *Jabal pater habitantium in tentorio & gregis.*) Sententia quidem clara est, Jabilem nempe patrem fuisse, i. e. autorem eorum, qui non in domibus, sed tentoriis ob hanc commoditatem habitaverint, ut tentoria, quoties necessitas requiret & pascua ibi locorum, ubi primum fixerant, deficerent, sine ullo negotio refigere & in alium locum transferre possent. Quali vitæ genere adhuc hodie, nisi fallor, Tartari Præcopenfes utuntur. Sed in Ebraismo loquendi ratio paulo difficilior videtur: *autor incolentium tentoria & armenti.* *Ben Melech* supplet vocem: רעים, *pastorum*, hoc sensu: *erat inventor habitantium tentoria & pascentium armenta.* *Radak* תו in ומקורה per אמ, seu cum vertit, hoc sensu. *erat incolens tentoria cum pecore.* Quo pacto תו יעי

H

occur-

occurrit Exod. I. 5. ubi dicitur: וַיִּבֶן יִבְרָם נִמְצָרִים
 quod cum *Onkelo & Tremellio* convertit: septuaginta erant
 animæ unâ cum *Joseph, qui erat in Aegypto*. Consentit cum ipso
D. Christian. Noldius & Bochartus in *Hierozoico*. *D. Seb. Schmidius*
 existimat, unū nomen *habitor* stare pro duobus hoc
 sensu: *habitor tentorii & vir pecoris*. Cæterum uti *Jaba-*
li hoc loco inventio tentoriorum & pascendi pecoris,
Jubali verò Musicorum instrumentorum & Tubalkaino
 æris conficiendi aprandiq; inventio tribuitur: ita frustra
 hæc omnia à *Seb. Münstero & Isidoro Clario, Lamecho, viro,*
 ut ait, *in omni arte prudentissimo*, tanquam primo auctori,
 qui has artes ad filios illos suos traduxerit, adscribuntur.
 Nec enim *Lamech נָמִי*, primus horum artificiorum in-
 ventor, sed filii ipsius dicuntur.

§. XXXVII. Ad v. 21. *Jubal pater pulsantium in*
cithara & organo, נָמִי autorem primumque inventorem
 notat. *D. Seb. Schmidius* præterea putat, denotare infi-
 gnem artificem. Quod utique conceditur pro modulo il-
 lius temporis, quo quicquid ad perfectiorem statum,
 quam antea fuerat, evehitur, excellens nobis & singu-
 lare apparet. Quemadmodum poësi Germanica è Ger-
 mania prorsus exulante *Joannis Sachsi* rhythmus, ut cun-
 que hodie nobis simplicissimi, imo & auribus nostris
 graves videantur, summo tamen eo, quo vixerat, tempo-
 re, in pretio apud omnes erant & admiratione. Et tor-
 te ex reliquiis Musicæ Jubalæ, adhuc hodie in Asia super-
 stitibus, de quibus *Clericus* ad h. l. apparere posset, qualis
 & ipsius quoque inventoris Musica olim fuerit, cum qui
 ad ea loca profecti mores illarum regionum nobis percen-
 suerunt, eloqui satis non possint, quam illa, si ad no-
 stram Musicam referatur, moleste in auribus strideat &
 audi-

audientium sensus offendat. Equidem *Raschi* Jubalitica Musica abufos esse putat ad sacra idololatrica, quod Observatores Halenses, ceu supra diximus, ad stabiliendam suam sententiam de simplicitate cultus Divini ante Cainum & introductis à Caino atque posteris ipsius inutilissimis in cultum Divinum ritibus & pompis arripiunt. Sed si ideo instrumenta Musica ex Ecclesia eliminanda sunt, quia eorum autores vel propagatores iisdem ad idolorum cultum juxta incertam Judæi narrationem abufi fuerunt, armenta quoque ovium pecorumque ex Christianismo abigenda fuerint, de quibus idem *Raschi* ex *Agada*: בונרו

בתיכם לעו" כמרו דערז אמר סמל הקנארו המקנרו:
adificans domos ad cultum peregrinum seu idololatricum, unde in proverbio dicit solet: simulacrum amulationis pecus. Sensus verborum est: ædificasse Jabalem domos ad exercendam pecorum cultu idololatriam, ceu proverbio apud Ebræos dicebatur: *simulacrum idololatriæ pecus.* Quæ enim gentes pecori operam dabant, ut ex ejus solius proventu omnem sustentationem suam quærerent, hoc animal tanto in pretio habebant, ut in simulacro illud ceu Deum & omnium ad se redeuntium bonorum fontem adorarent; ut de Ægyptiorum Apide res nota est. Ut igitur organa Jubalis Musica idololatriæ inserviebant: ita pariter pecora Jabalis. Si verò musicalis illa pompa simplicitatem cultus Divini dedecet, cur verò DEUS in Vet. Test. hanc pompam non assumpsit tantum, sed & introduxit atque mandavit.

§. XXXVIII. Ad v. 22. *Acuentem omnem opificem.*) Denuo in verborum constructione obscuritas suboritur. Quid enim est: לוטש כרל חורש, *acuens omnem opificem?* Metalla enim & instrumenta acuuntur poliuntur;

H 2

turq;

turque, non artifices. Quare ad mitigandam sententiæ duritiem varia medicina inventa est. *Buxtorfius* in Lexico, quo & *Junius* & *Piscator* inclinant, שֵׁן hoc loco acuere erudiendo vel acute erudire significare putat. Quo sensu sumi videtur vox illa *Deut. VI. 7. acies mandata mea filiis tuis.* Quamquam hoc loco exaggerationem potius & inculcationem severam atque rigorosam, per metaphoram ab acuendo defumtam denotet. *D. Seb. Schmidius* לֹוּטֵשׁ, *artificem* & חֹרֵשׁ, *elaborantem* interpretatur, ut constructio sit: artificem omnium elaborantium æs & ferrum. Qua verò autoritate non constat. Alii, utpote *R. Sal. Jarchi* חֹרֵשׁ in significatione non activa, sed passiva accipiendum esse contendit hoc sensu: *accens omne opificium.* Sed חֹרֵשׁ חֹרֵשׁ בְּרֹזֶה perpetuò active *fabricantem ferrum*, seu *fabrum ferrarium*, sicut חֹרֵשׁ עֵצִים, *fabricantem ligna*, seu *fabrum lignarium* Scripturæ usu notat, à quo ob vocem eandem, aliquando difficiliorem sensum habentem, recedi non debet. Nec verò etiam acuuntur poliunturque opificia, sed opificiorum instrumenta. Subtilius nonnunquam, quam par est, *Jarchius* חֹרֵשׁ חֹרֵשׁ. Ineptit verò prorsus, cum de origine nominis Tubalkain scribit: חֹבֵל לְשׁוֹן תְּבַלֵּן חֵבֵל וְחֹתְקִין אוֹמְנֹתָיו שֶׁל קַיִן לַעֲשׂוֹת כְּלֵי זֶן לְרוֹצְחֵי־טוֹבֵי. *Tubal significatu: aromata.* Condidit enim & preparavit opificia Caini, ut faceret instrumenta armatura pro latrocinantibus. Lepida metaphora, condire opificia, h. e. in meliorem statum transferre. Quis de illius ætatis simplicitate crediderit, tanta subtilitate conditas potuisse invenire figuras? Hinc Tubalkain aroma Caini & conditura artificiorum ipsius. An verò etiam Prophetissæ fuerint gentilis familiæ matres, quæ liberis suis statim

statim à nativitate nomina imposuerunt, futuros eventus prædicentia? Recte *Ben Melech*: stupidum hic est Excellentissimi *Jarchii* ingenium. Quid tandem dicemus de constructione illa: *acuentes opifices*? Quid impedit, quo minus dicamus, esse metonymiam actionis pro objecto illius, cujus exempla recenset *Glossius* in Rhetor. S. Tractat. I. Cap. IV. p. 67. Dum enim effectus & objecta artificum acuuntur, ipsi quoque opifices, acutis instrumentis utentes & acutos effectus producentes, acui, i. e. perfici non immerito dicuntur.

§. XXXIX. Ad. v. 23. *Virum occidi.*) Siquis in universa Scriptura locus est, qui crucem interpretibus fixit, hic equidem dici potest jure meritoque. Quare ipse *Lutherus*: *haud scio, an ullus alius in Scriptura sancta sit locus, tam varie tractatus & laceratus, ut ille.* Recensetur ex abrupto historia, ut occasio omnis expiret, ex antecedentibus de narratione facti judicium ferendi. Alloquitur uxores suas, easque maxime attentas dictis suis esse jubet, ut ne conjectari quidem possit, cur non ad filios suos aut majores sermonem instituat. Si fingere historiam hic liceret, fictamque textui adaptare, nemini major ingenii gloria, quam Judæis conveniret qui, narrante *Rafabio*, fusius verò *Abendana* in spicilegio ad יפיי מכירי, *Lamechum* jam cœcutientem, assumpto filio *Tubalkaino*, ad captandas feras egressum, Canum in arbusculo latentem, tectumque pelle ferina, telo transfixerit, cognita verò à *Tubalkaino* proavi sui morte, complōsis ex terrore manibus, filium quoque adolescentem suffocaverit. Cumque uxores ipsius facti atrocitate commotæ cohabitare ipsi amplius detrectassent, sermone isthoc ad eandem directo, in officio illas ajunt continuisse. Commenti falsitas duplici se argumento pro-

dit, & quod interposito signo certum reddiderit Cainum Deus, quod violenta manu casurus non esset, & quod Tubalcain eousque produxerit annos, ut varias in aere & ferro artes invenire, easdemque pro ratione illius temporis ad summum fastigium deducere potuerit. Reliquæ interpretationes vel conditionate loquentem faciunt Lamechum, כִּי, *si* virum occidi in vulnus meum, sicut Cain, quod tamen non feci; cum Caino vindicta septupla sit decreta, qui reapse occiderat Abelem, quanto magis Lamecho, qui neminem prorsus occidit, suspendetur pœna in generationes septuaginta septem. Ita sententiam hanc recenset *Abendana*, quæ tamen absurditate sua, quamprimum auditur, sese prodit. Vel adverbative verba intelligunt: quamvis vel maxime occidisset virum puerumque in qualemcunque livorem vibicemque meam, velletque mihi quispiam vitæ periculum ideo creare, is experiatur mecum, ego enim non septies, sed septuagies septies memetipsum gladio, manu, dentibus ulciscar. Quo pacto grandis duellorum jaetator Lamech tuerit necesse est. Qui tamen sensus ipsam vocum constructionem mire offendit atque discerpit. *Jo.* tamen *Clericus* huic opinioni calculum nihilominus addit suum. Vel absolutum faciunt horum verborum sensum, idque denuo duplici modo: *occidi virum*, i. e. Cainum, &: *occidi virum* primarium aliquem & puerum ignobiliorem. Nolumus, in brevi Disputatione sensuum divortia recensere, singulorumque rationes iusto examine expendere, fecerunt id præ aliis *Varenius* atque *Pfeifferus*, novissimeque ingeniosa pulchraque Disputatione *D. Jo. M. eb. Langius*. Quorum hi verifimiliorem eorum sententiam esse autumant, qui confiteri Lamechum uxoribus suis duorum hominum cædem, à se perpetratam, subjicereque solatium, ne forte & maritum

tru-

truculenta morte periturum extirnescerent, contendunt. Quæ sententia verbis eque in textu omnibus accurate conveniret. Ita enim fateretur Lamech, occidisse se virum, non sine gravi conscientia suæ vulnere, & adolelcentulum, non sine famæ suæ vibice & detrimento. Non tamen esse, ut uxores ipsius animo metuq; perturbarentur. Quisquis enim ideo sibi periculum vitæ posthac struxerit, graviolem pœnam, quam ipsum Cainum subiturum esse. Quod solatio eque uxoris esse debebat, qvanquam revera inane fuerit & febriculofum. Hoc si cuiquam displicuerit, is vel verofimiliorem adinveniat sententiam, vel fateatur, aliquid Divinum Spiritum nos ignorare voluisse, ne animo supra alios efferamur & à salutarî Scripturæ scrutinio manum unquam removeamus. Memoranda nobis sub finem est singularis plane, & quæ forte vix cuiquam venisset in mentem, opinio ingeniosissimi *D. Seb. Schmidii*, qui ad h. l. ita cõmentatur: nos convenienter contextui putamus, Lamechũ confiteri suum bigamia peccatum coram uxoris, ut *Et hæc agnoscat, sive vera fuerit pœnitentia, sive hypocritica Et à conscientia extorta. Hoc peccatum comparavit cum peccato homicidij Caini, avi sui: virum occidi Et, q. d. matrimonij lex est, ut unus sit vir Et una fœmina. Unde duabus fœminis duo competunt viri: at ego unus vir duas habeo uxores, alterum itaq; virum quasi occidi, commisiq; tantum fere peccatum, quantum est homicidium Caini. Vir Et juvenis idem sunt; est enim hæc oratio idem repetens, mutatis eleganter verbis. Nonne enim idem sunt: virum occidi in vulnus meum Et puerum seu juvenem in plagam meam. Tales repetitiones sunt frequentes. Simile quid circa hoc Lamechi alloquium sentit *Lightfootus* apud *Matth.* solum in Synopsi. De qua verò sententia malumus legi doctifimum pariter modestissimumq; *D. Langij* iudicium.*

EPI-

EPILOGUS.

Poterant observationes istæ ita diffundi, ut & argumenta ipsa, quæ in hac historia multa notatuque dignissima occurrunt, è fundamentis suis excuterentur, quibusque rationibus autorum à sele dissentientium sententiæ niterentur, & quo vel robore gaudeant, vel qua virium imbecillitate laborent, instituta analysi ostendi. Sed quilibet videt, nos illustrare tantum historiam ipsam observationibus succinctis, ex recentissimis potissimum autoribus desumptis, voluisse, addita nonnunquam crisi nostra, ut ventilationi publicæ eò sæcundior materia accresceret. Persvasi quippe eramus, nos qualibuscunq; studiis nostris felicius augmentum hoc pacto acquirere posse, si in ubere quadam variarum materiarum diversitate ingenium nostrum exerceremus, quam si uni tantum rei etiam severo studio essemus intenti. Dedimus quoque operam, ne quemcunque vel duriore verbo læderemus, nisi quod veritatem nonnunquam serio cordatoque calamo, ut omnino par est, *μετὰ πάσης ἀμετανοήσεως* & proponenda fuit & defendenda. Quare DEO pro concessio Divinitus auxilio immortales gratias referentes, Lectoris nos benevolentiam, ubi forte à via deerravimus, de meliori commendamus.

FINIS.